Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Conrad Rhumel

Apocalypsis Johannis Theologi : Poetica Paraphrasi Reddita

Noribergae: Wagenmannus, 1619

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766842649

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766842649/phys_0001
DFG

Bibliothecæ Academ: Rostoch:
accensear ex donatione
P. Ciesij: Cur. Duct:
Rostochij
die 20. Sept.
1727.

F. b + 1075.

APOCALYPSIS

JOHANNIS
THEOLOGI

POETICA
PARAPHRASI REDDITA

A
Jano Chunrado Rhumelio
Philos. Medic.

NORIBERGÆ,
Typis Abrahami Wagenmanni.

cIↃ IↃ cXIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766842649/phys_0005
DFG

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO AC DOMINO CHRISTOPHORO GIRSNERO REIPUBL. NORIMBERGENSIS PRIMICERIO PRUDENTISSIMO, BENIVOLENTI SUO FAVENTISSIMO ET FAVITORI NOBILISSIMO Salutem dicit ab eo, qui est

אוּרִים וְתֻמִּים

Α καὶ Ω

ΗΑΡΧΗ ΚΑΙ ΤΟ ΤΕΛΟΣ,

atq; ſtrenam ſolennem anni à

CHRISTO NATO cIↃ IↃC XIX,
Condito mundo 5588

Hanc Epicam Apocalypſis JOHANNIS THEOLOGI Paraphraſin.

D. D. D. D.

Cum voto ſolenni

ut

λιμὸς λοιμὸς καὶ πόλεμος *ex noſtro ſeculo abeat.*

Janus Chunradus Rhumel:
Philoſ. Med.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766842649/phys_0006
DFG

MItto ad Te, vir consultissime, Apocalypsin Ioannis, qui, quod eo ipso de divinitate CHRISTI nemo unquam dilucidius, apertius, fideliusvé scribserit, à priscis Theologus fuit appellatus; Librum gravitate dictorum propheticorum illustrem, rerum futurarũ prænunciatione apertum, Fide visionum certum, atq; auditorum & dictatorum exceptione fidelem, consensu Priscorum Ecclesiæ Catholicæ Patrum Iustini, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani Gregorij, Cyrilli, Basilij, Hieronymi, Epiphanij, Augustini, Dionysij Alexandrini, laudabilẽ, Imperio CHRISTI, obsequio vocati Apostoli, Ecclesiarum utilitate admirabilem! In hoc describuntur primò cap. 1. 2. 3.
CHRISTUS Propheta, Pontifex, Rex Ecclesiæ suæ, &
ejus decreta ad septem Ecclesias Asiæ. Secundò Re- c. 4. 5. 6. 7.
gnum CHRISTI, hujus vexationes, & illis sublatis, (11.
constantium coronatio. Tertiò tribulationes spiri- c. 8. 9. 10.
tuales Ecclesiæ & verbi victoria. Quartò pugna Ec c. 12. 13. 14.
clesiæ cum Dracone, Antichristi imperium, Ruina &
judicium. Quintò pœna in hoc mundo etiam socijs & cap. 15. 16.
assecljs Antichristi irroganda. Sextò censura Thaidis cap. 17. 18.
Babylonicæ, jubilum Christianorum, extremum ju- 19 20.
dicium, resurrectio mortuorum. Septimò vita æter- cap. 21. 22.
na, pax sempiterna, gaudium infinitum ELECTORUM
& Solyma cœlestis. Ex hoc evidenter apparent septem sigilla undecim persecutionum ab Imperatori-

bus Ethnicis in fideles crudeliſſimè exercitarũ; C. Calgulæ, Neronis, Domitiani, Trajani, Adriani Aurelii, Severi, Decii, Veleriani, Aureliani, Diocletiani & Maximiani. Ex hoc ſeptem Tubæ Hæreticorum ſonorâ voce audiuntur, à quibus 1. initio cum Chriſto fraudulenter confuſus Moſes, in operibus vanis beatitudo quæſita irrito eventu, 2. abinde Chriſti Hominitas corrupta & abnegata, 3. Divinitas inſuper vera ejus oppugnata, 4. Vires præterea humanæ ſupra ſatisfactionem ejus elevatæ, 5. Clavis quoq; oſtenſa diſpenſatione decreta ligans, meritis ſatisfactionum errans, Angelicis mentibus, ſpiritibus Diabolicis, Regibus & ſubditis mandans, omnia jura, quâ divina, quâ humana dignoſcens, cœleſtis doctrinæ fumis opinionum falſarum veritate lucis Evangelicæ diſcuſſis obſervantes, perſequens adminiculo Locuſtarum, quarum progenitor, non Abah, ſed Abaddon, non Apolyon, ſed Apollyon, Dux, homo quatuor Literarum, proprietates, bellandi ardor, dominandi cupido, fucata humilitas, caſtitas ſimulata, judicium rogo & gladio munitum, contumacia præfracta, ſuperbia bullata, traditiones humanæ, 6. Alcoranus deniq; ex Archihæreticorum chao excluſus, Ebionitarum circumciſione, Hypocritarum devotione externâ & fictitiâ Sanctitate, Arianorũ abnegante divinitatem CHRISTI blaſphemiâ, atq; Pelagianorum libertatem arbitrii in divinis aſtruente delirio, obſtetricante Mahumetis Pſeudoprophetæ furore, 7. Ad extremum imago imperii ex luto Eccleſiaſtico & ferro politico conformata; ſub ſpecie agni mitis, fortitudinem Leonis, crudelitatem urſi, aſtutiam Pardi, poteſtatem Draconis exercens

cens pompâ Augustâ, honore regio, dominio superbo, superbiâ invictâ, mendaciis ingeniosis, ceremoniis fucatis, superstitione cæcâ, idololatriâ tectâ miraculis vanis, ex Sanctorum exuviis, imaginum fabulis, magicis incantamentis, excommunicationis bullis, dæmonum apparitionibus, missarum ludis, peregrinationibus religionis ergò ad defunctorum ossuaria susceptis, Divorum invocatione, fumoso purgatorio, magnâ ostentatione editis. Characterein politiâ juramenti obedientiæ Rom. Episcopo præstandi; in Ecclesiâ, unctionis, confirmationis, consecrationis, tonsuræ: In œconomiâ, invocationis animarum beatarum, adorationis panis azymi, peregrinationum ad reliquias & simulacra, illustris. Ex hoc septem phialæ plagarum sub Antichristo ad finem usq; mundi, qui fragili vitro similis, effundendarum significantur; qui tamen in cordibus plurimorum, spirituali verbi gladio concisus corruet, erroribus ejus luce Evangelij omnibus linguis propalatis, legatis ejus, tanquam hostibus veritatis, & sanctorum carnificibus contemtis, fortunis ejus concionum sacrarum vi nonnihil imminutis, avaritiâ deprensâ, magiâ ostensâ, Tyrannide demonstratâ. Ex quibus omnibus fit evidens, Ecclesiam à primis incunabulis & ærumnas, & liberationes omnibus & singulis temporibus expertam fuisse. Cùm esset in unâ domo, serpentis suasu labsum, causam mortis & calamitatum omnium, ex adverso restitutionem & pœnæ mitigationem promissione DEI sensit. Annon statim certamina inter Cainum & Abelem de cultu Religionis exorta? & separatio synagogæ Cainicæ & Ecclesiæ Adamicæ facta? Cùm ex do-

mo in posteritatem Semi & familiâ Abrahami translata esset, annon varia inter Ismaëlem & Isaacum, inter Esavum & Iacobum dissidia? Etsi instituto circumcisionis ritu hoc signo à cæteris gentibus distingueretur, & decretum fuerit in eâ posteritate semper foreꝫ Ecclesiam, donec MESSIAS nasceretur. Cùm ex familiâ in populum transiisset, quas adflictiones ab Ægyptiis sub Pharaone Améophi sustinuit, donec à Mose ex servitute, magnâ manu educeretur. Quas ærumnas sub Mose in deserto perpessa est, qui anno post eductionem quadragesimo, annorum centum viginti senex ad plures abiit? Quas ab obitu Mosis sub Iosuâ? licet semper promissio de vẽturo Messiâ repeteretur. Cùm ex populo in Aristocratiam 350 annorum ingressa esset, quoties afflicta fuit à vicinis gentibus & pressa servitute à Rege Mesopotamiæ Cusane Risathain, per octo annos à rege Moabitarum Eglone, per octodecim annos à Iabine Rege Cananæorum Hazoris, per 20 annos à Midianitis, per 7 annos ab Ammonitis, per 18 annos à Philistæis, per 40 annos, qui arcam fœderis etiam illi bello extorserunt, & per 7 menses secum retinuerunt, quamvis ab Ehudo, Deborâ, Baraco, Gedeone, Tholaho, Iaire, Iephte, Samsoneꝫ Samuele etiam defensa fuerit. Ubi ex Aristocratiâ ad regium statum pervenit, annon Saulem crudelem Tyrannum, Davidem voluptuarium, Salomonem Idololatram, Roboamum Idiognomonem, à quo decem tribus, quæ post annos 244 ab initio Ieroboami dissipatæ, defecerunt, passa fuit? Etsi in stirpe Davidis, translato tamẽ regno ad posteros Nathanis, in Ochozia posterorum Salomonis successione sublatâ, per

annos

annos 467 usq; ad Sedeciam durârit. Quid? quod templum religionis veræ officinâ 480 anno ab exitu Ægypti extructum, spoliatum, clausum, & Iudæâ vastatâ, ab Ægyptiis, ab Assyriis Regibus, Phul Belocho, Phulassare, Salmanassere, Salmane, Sennacheribo, à Chaldæis Nabgdonosore primo, Nabogdonosore magno, Balsaure, & Tribus Iuda 70 annorum exilium in Babylone subire coacta fuerit? Postquam verò duce Zorobabele, nepote Regis Ieconiæ, gens Iudaica in patriam reducta esset, & sub ejus posteritate usq; ad Maccabæos ex tribu Leviticâ ortos, anni 373 fluxissent, annon reædificatio Templi statim edicto Cambysis impedita, Artaxerxis Ochi fratricidæ sævitiâ annuæ pensiones templo ereptæ? Tributa populo indicta? Prædæ Hierosolymis à Vagose Persico præside, templum ingresso avectæ? Sub Abnere Semei ipsa Hierosolyma à Ptolemæo Lagi filio fraude sub simulatione sacrificii capta? Quæ bella fuere mota ab Antiochi Epiphanis ducibus in Ecclesiam Iudaicam Apollonio, Serone, Gorgiâ, Lysiâ, Nicanore, ab Antiocho Grypho obsidente Hierosolymam? Quæ clades accepta à Ptolomæo Lathuro trucidatis 30 millibus Iudæorum? Quid dicam de urbe sacrâ captâ & occupatâ Sabbatho à Cneo Pompeio Sanctum sanctorum ingresso? Quid dicam de M. Crasso, qui templum violavit, & decem millia talentorum, atq; alia ornamenta ex illo abstulit? Quid de lanienis mutuis sacerdotum summorum? Quid de sectis varijs Ecclesiam inficientibus segregatorum superstitione, justitiariorum prophanitate, & operariorum continentiâ? Quid de Herodis posteritate, quæ per annos 103 populum DEI imperio infelici

lici subegit. In tantâ tamen Tyrannorum laniena & sectarum rabie Ecclesia novi Testamenti nato IESU CHRISTO Anno mundi 3970, Augusti Imperatoris 42, & anno 15 Tiberii, ætatis verò suæ 30 à Ioanne Baptistâ Baptizato emersit, quantumvis & Iudæi & Ethnici contra nascentem sævitiâ magnâ insurrexerint, & variis præstigiis Hæretici vernantem turbârint. Quæ fuit sævitia & crudelitas Domitii Neronis? quot sub hoc piorũ corpora ultimo supplicio affecta? Quæ clades fuit populi Iudaici extrema? Ubi anno Christi 72 post resurrectionem ejus quadragesimo, obsidio sanctæ civitatis incoata à Tito 14 Aprilis Anno 2 Vespasiani 10 die Augusti templum in toto orbe celeberrimum conflagravit, 8 die Septembris, quantum urbis reliquum fuit combustum est, anno ab exitu Ægypti 1582. Interea tamen & Ecclesia, quæ Hierosolymæ fuerat servata est trans Iordanem. Quantum immanitatis exercuit Domitianus sub quo Apostolus noster & Evangelista cum Ephesinam doceret Ecclesiam in Pathmon insulam relegatus est. Quot interfecit Trajanus, qui Ignatium Antiochenum quoq; jam senem bestiis objecit? Repressa tamen est illa sævitia nonnihil M. Aurelii, Antonini temporibus post victoriam contra Marcomannos & Quados precatione Legionis Melitensis, Fulminatricis dictæ, obtentam, & decreta contra Christianos abolita, ita ut hoc tempore non solùm multitudine, sed etiam numero eruditorum succreverit. Decius imperator, atrocissimam persecutionem contra Christi Nomen professos movit occiso Romæ Fabiano urbis Episcopo, Alexandro Hierosolymis, Antiochiæ Babylâ sene cum

tribus

tribus filijs: quem secutus est Valerianus à Mago Ægyptio incitatus, Cypriano in Africâ trucidato & Dionysio Alexandrino & Cheremonte Episcopo Nicopolitano in exilium pulsis. Interea varii errores in Ecclesiam, sanguine Martyrum irriguam, proseminati à Novato à Catharis, à Manete, & Paulo Samosateno, nihilominus tamen illâ incrementum sumente, Imperatores Diocletianus, Maximianus & Maximiani filius Maxentius Nicomediæ convenêre, & de delendis funditus Christianis diliberarunt, quia dissensio Religionis magnas in familiis discordias & imperio pariebat. Durârat hæc sævitia circiter decennium, & libris & templis deletis, atq; in uno mense septendecim millibus horum crudelitate diversis in locis interfectis. Respiravit tamen Ecclesia sub Flavio, Constantio, Chloro in Galliâ & Germaniâ, (licet odium Licinius adversus Christianos ostenderit, & aliquot nobiles propter professionem Nominis Christiani interfecerit;) qui decreta Tyrannica abrogavit, & Christianos injuriâ affici prohibuit: Et confirmata fuit sub Constantino, qui sanxit, ne à Christo nominati ullâ injuriâ propter confessionem afficerentur, & ut ad honores publicos admitterentur, templa rursum ædificentur, & reditus illis attribuantur.

Inventus tamen est etiam hoc tempore, qui Ecclesiam furenter infestaret Arius Presbyter Alexandrinus, qui filium de Essentiâ Patris, & omnipotentem esse negabat: Hic tamen non solùm à Synodo Nicenâ 318 Episcoporum Anno Christi 328 Constantini Imperii 19 unâ cum Samosateno, Novato, Meletio damnatus, Sed à Deo ipso, postquã in latrinam intestina

effudisset, punitus est. Impiæ Synodi corrumpentes Symbolum Nicenum sex in Tyro 345, In Syrmio 356, Arimino 362, Seleuciâ Isauriæ 362, Constantinopoli, Antiochiæ 365 habitæ sunt, quibus synodus Sardicensis pia 250 Episcoporum contradixit, patrocinium Nicenæ suscipiens. Arium secutus est Photinus Syrmiensis Ecclesiæ presbyter, qui negavit duas esse naturas in Christo nato ex virgine. Julianus Apostata edicta contra Christianos edidit vehementissima, & rursus aperiri jussit idolorum templa & eis sacrafacere, proventus Ecclesiis eripuit, ne possent ali docentes & discentes, militiæ honores vetuit tribui Christianis, filios illorum prohibuit admitti in scholas Rhetoricas, crudelitatem in Christianos multiplicem gladio, stylo & variis technis, ereptione facultatum, incitatione Iudæorum exercuit. Pios tamen valdè animavit tum temporis terræ motu & fulminibus Templi Delphici facta eversio! Pax ecclesiæ rursum reddita à Ioviniano, Valentiniano I, Gratiano, Theodosio, Imperatoribus, qui exules orthodoxos Ecclesiis & reditus, clausis idolorum templis, restituerunt, & symboli Niceni professionem omnes Ecclesias communi consensu amplecti jusserunt. Sub initiis Theodosii Synodus Constantinopolitana Anno Christi 385 celebrata, in quâ vera doctrina de filio & Spiritu Sancto contra Macedonium Eunomium illustrata est, quam secuta synodus Gangrensis Eustathio cuidam & ejus imitatoribus, qui certos cibos & conjugia prohibebant, & ad Ecclesias eas, ubi sacerdotes erant mariti, nolebant accedere, opposita. Theodosius Secundus, Arcadii pii Imperatoris filius, convocavit Anno Christi 435.

etiam

etiam synodum piam Ephesi, in quâ Nestorii impietas contendentis in Christo non fuisse duas naturas unitas inseparabiliter, sed λόγον naturæ humanæ affuisse, ut cæteris sanctis, damnata, qui linguâ consumtâ à vermibus extinctus esse dicitur. Eodem ferè tempore, controversia Pelagiana, quæ statuit non esse peccatum originis, & hominem libero arbitrio posse Dei Legi satisfacere, definita. Anno 2 Martiani Imperatoris convenit synodus in urbe Chalcedone 630 Episcoporum contrà Eutychen Monachum, qui naturarum in Christo confusionem, humanâ naturâ in λόγον conversâ, finxit, & universam doctrinam de communicatione Idiomatum delevit. Fuit illis temporibus in rectè sentientes defensorum Arianæ impietatis magna crudelitas, quâ Vandalorum Genserici, Honorici, Gundamundi ubi honestæ matronæ, & virgines nudatæ suspensæ, facibus usta corpora, præcisæ illis mammillæ & brachia, nolentibus assentiri Arianæ Blasphemiæ, & talibus suppliciis & exsiliis multa millia hominum sublata: quâ Gothorũ Richimeri & Theodorici, Ecclesia rursus turbata ab Anastasio Imperatore, qui palàm Eutychianum chaos defendit, & Episcopos ipsi adversantes ex suis ecclesiis expulit, impiam synodum adversus rectè sentientes convocavit, cujus tamen ausis contra ivit Iustinus Imperator, Tutor Chalcedonensis Synodi, & Episcopos errorum reos ab officiis remotos in exilia expulit, & Severo Antiocheno Episcopo linguam, ob pœnas blasphemiæ dandas, præcidi jussit. Sub Iustiniano Imperatore synodus convocata Anno Christi 552. Constantinopolin, quâ reliquiæ Nestorii, Eutychis & Origenis

Anno Christi 421.

deliramenta dissipata, Samosateni, Arii condemnatio repetita. A Longobardorum Rege 4. Egilolpho Ecclesiis ademta restituta, superstitiones abolitæ & Christiana doctrina doceri curata, Gregorio Romano Episcopo præeunte. Exarchorum varii motus tum in ecclesiam orthodoxam ejusq; episcopos auditi, Theodori Calliopæ, Ioannis Platinæ, Pauli. A Cosroe Persarum rege Hierosolyma Romanis erepta, magna Christianorum multitudo ad 90 millia occisa Deus Persicus abolitâ crucifixi invocatione coli jussus. Cùm arderet jam undiq; bellis Terrarum orbis, atq; ab Idolorum cultoribus Christiani trucidarentur, urbes & templa à Barbaris delerentur, sacerdotes vanitatis nomina usurpare & profanis se titulis ostentare, velut publicis insultantes calamitatibus, cæperunt: & Gregorius Romanus Episcopus, qui invocationem mortuorum & sacrificia pro mortuis introduxit, Phocâ parricidâ concedente, primus Constantinopolitano & cæteris omnibus superior dici & haberi voluit. Sub Heraclio Imperatore initia & sectæ & Regni Mahometis eruperunt, qui removit doctrinam de Trinunitate Divinitatis, & contendit unicam tantum esse personam Deum, In Christo θεανθρώπῳ duas naturas esse negavit, popularia dogmata selegit, simulavit enthusiasmos, Evangelium vituperavit, Imperium suæ Genti, tanquam à Sarâ ortæ, promissum armis occupandum esse, & omnes cogendas gentes, ut aut Legi ejus obediant aut ser vitute miserabili oppressi vivant, edixit; In Alcurano aliquid taxantes interfici jussit, πολυγαμιάν sanxit, homicidia & furta ad legem Mosis puniri mandavit, circumcisionem retinuit, scripta tam

prophe-

prophetica, quàm Apostolica rejecit, Eleemosynis & labore militiæ remissionem peccatorum & vitam æternam se mereri putavit, vini usum & suillæ carnis esum prohibuit. Hujus dogma amplexi primùm Arabes, qui nunquam legitimis imperiis paruerunt Anno Christi 623, post Saraceni, qui intra 30 annorum spatium Arabiâ, Palæstinâ, Phœniciâ, Syriâ, Ægypto, Persiâ potiti, magnam potentiam adepti sunt, & postea Africam totam occupârunt & paulatim etiam in Asiam processerunt. Ecquis verò est, qui non apertè intelligat ecclesiam veram subjectam esse cruci & longè imparem multitudini impiorum? Adsunt Constans Filius Constantini junioris Nepos Heraclii & Philippus Bardanes, qui Monothelitarum furores acriter defenderunt, non sine clade piorum, quos tamen synodus Byzantina anno 12 Constantini Barbati, Christi 681 represit unâ cum Anastasio II. Imperatore. In Galliis à Rege Abidiramo Saracenico magna Christianorum multitudo trucidata, quem tamen Carolus Martellus repressit, ejusq; cohortes magnis præliis delevit. Carolus Magnus qui regno Longobardorum Anno Christi 773. finito, In Italiâ, jure belli, transactione cum Irene Imperatrice, & Nicephoro & Micaële Curopalate, Imperator Romanꝰ à Leone Pontifice ipso natalis Domini die Año 800 renunciatus, devictis antè Saxonibus, destruxit Idola & sustulit, atq; condidit ecclesias ut de DEO rectè Gens Saxonica informaretur, & ad veram DEI invocationem assuefieret, atq; commendavit gubernationem episcopis viris piis & sanctis Osnaburgi, Selingstadii, Padebornæ, Mingerodæ, Hildesii, Bardovici, Bremæ, Mindæ, ac attri-

buit certos reditus, quibus Episcoporum & ministrorum ecclesiæ & aliæ pauperes familiæ alerentur. Sub hoc adoratio statuarum synodo Niceâ celebrata, impiè confirmari, & controversia à Ioanne Damasceno sub Constantino Genero Caroli M. de pane consecrato abijciente suam naturam καὶ μεταποίησιν, primùm moveri cœpta. Ludovicus pius Imperator Festa & cultus Idololatricos sanctorum atq; superstitiosas observationes auxit. Hinc imperium Occidentis discordiis successorum convulsum, paulatimq; velut nervis incisis ac compagibus solutis ad ruinam inclinatum, atq; exterarum gentium violentiæ quasi expositum penè corruit, & Caroli posteritas fere redacta in nihilum: Tum quoq; cultus DEI legitimus cessit Sanctorum invocationi, severitas disciplinæ ecclesiasticæ superstitioni, Doctrina Evangelica argutiis scholasticis, & potestas ministerii Politicæ. Anno Christi 1501 Turcæ Persico regno à Saracenis deleto, his à Turcis sublatis, istis à Tartaris vexatis, illis rursus à Turcis oppressis, dominari cœperunt latè in Asiâ, cùm Alexander III. Pontifex usum Panis azymi instituisset & Laicis alternam Sacramenti partem ademisset. Sub Henrico Aucupe, Henrico Sancto, Henrico Nigro Ecclesia amplificata, Heneta gens ad cognitionem Christi adducta & doctores pii constituti, episcopatus conditi, novisq; donationibus aucti. Sub Henrico IV Cognomento Iuniore, In ecclesiam novum Regnum invectum Politiis simile, & Autoritas Episcoporum major facta, quàm verbi sacrati, atq; constitutinnes humanæ pluris factæ, quàm divinitùs traditæ, superstitionum seminibus auctis & confirmatis Lux Evangelicæ do-

cæ doctrinæ prorsus obtrita & extincta fuit. Introductus enim noviter cultus Idoli Maozim ita occuparat Ecclesiam, ut locum & honorem adorationis soli Deo debitum sibi vindicaret, & ad se oculos mentesq; humanorum converteret, & quam primùm hoc sese in processione & Theatricæ missæ spectaculis undiq; ostentavit, vox Evangelii conticuit: ordines Ecclesiastici ad dignitatem evecti, horum potentia dilatata, opes auctæ, regnum munitum, monasteriis completus orbis Christianus. Majestas imperii & dignitas artibus Pontificum labefactata penéq; eversa concidit, obsequium debitum Impeatori subtractum, tributa negata, jura in creando Archiflamine, constituendis Episcopis, agendis synodis, ad Romanam curiam tracta, Imperatores tanquam illi subjecti crudelem in modum pressi atq; exagitati, bellis civilibus principes Germaniæ disjuncti, & Imperii autoritas omnibus propinata, impediti conatus adversus Turcas & Saracenos. Ecclesiæ Ægypti tum temporis sub Caliphis, Mamaluchis, non minores sustinuerunt confusiones, unâ cum servitute & corporum & animorum intolerabili, quibus Notitia DEI locuplete tollendis Duce Godefrido Bilioneo in Asiam susceptæ expeditio, Imperante Græcis Alexio Comneno & à Conrado, Friderico I Henrico IV Imperatoribus ad reliquias Ecclesiæ dispersæ colligendas exercitus in Asiam missi. Sub Ottone IV Imperatore natæ familiæ Monachorum diversæ: Bernhardini, Franciscani, Dominicani, Carmelitæ, Eremitæ, vel Augustiniani; & fructus hypocriticæ sanctimoniæ pontificum in apertum producti, seditiones cruentæ, perjuria manifesta, parricidia ne-

dia nefanda, injustæ cædes, grassationes sceleratæ, eversiones legum, humani diviniq; juris perturbationes, ordinis omnis cõfusiones, Idololatria multiplex, in sanctorum cultu, Panis consecrati adoratione, venditione missarum & applicatione pro aliis ex opere operato in pompis Ethnicis, supplicationum & processionum. A Nicolao III constituta est Hierarchia, Monarchâ Pontifice, collegio purpuratorum, tanquã electorum, episcopis ducibus, abbatibus comitibus, satellitibus Monachis superba. A Gregorio Nono constitutiones decretalium congestæ, 1223 ab Innocentio II Galerus Cardinalibus assignatus â Gregorio X Rudolpho I. Imp. Exarchatus Ravennatensis exortus, amissis interim regni Hierosolymitani in Palæstinâ, Phœniciâ, Syriâ, reliquiis. A Bonifacio IIX sextus decretabilium liber corrasus, qui gladio femur accinctus & coronâ caput redimitus Imperatorem simul ac pontificem, plus, quàm barbaricâ jactantiâ se professus est. Decretum 1315 de transubstantiatione factum. Iohannes XXII Papa contendit se esse judicem inter Imperatores. Velle enim DEUM supremum interris esse caput Petri successorem & varias molitiones contra Ludovicum Bavarum habuit. Anno 1371 bombardæ architecto Satanâ, fabro Monacho inventæ, quæ in hac Apocalysi nostrâ graphicè etiam depinguntur. Anno 1400 Iubileus pontificius celebratus sedis Romanæ Avaritiæ & superstitioni accommodatissimus fictis indulgentiis, quas Ioannes Hus Boëmus, facto anno 1372. à Iohanne Wiclefo antea in Anglia initio, cum Hieronymo Pragensi oppugnavit, qui in synodo Constantiensi violatâ fide publicâ ad rogum conde-

condemnati & combusti sunt; quo injusto supplicio Boëmia irritata, tribus exercitibus quinquies illam tentantibus duce Cisca victis & hostibus solâ consternatione animorum exactis, vicinos gravibus affecit cladibus; 1420. Sub Friderico III Imperatore Musæ Græcæ in exsilium à Bajazethe II pulsæ in Italiam & Galliam migrârunt, & anno 1440 artificium Typographicum Characteribus ex metallo nigri cinereiq; plumbi æris & stibii conflatis libros excudendi inventum. Sub Maximiliano I lites de ortu B. virginis inter Franciscanam & Dominicanam familias eruperunt. Anno vertente centesimo ab Exitu Synodi Constantiensis 1517 Martinus Lutherus è familiâ Augustinianâ monachus ab Hussо impetitarum indulgentiarum forum oppugnare cœpit acriter, à Leone X Pontifice sparsarum & à Ioanne Eccio, Sylvestro Prieriate & Iacobo Hogostrato defensarum; quem in hac palæstrâ 1519 Ulricus Zvvinglius secutus est; unde fuit à Papâ 1520 excommunicatus, à Cæsare Carolo V Wormatiæ 1521 proscriptus, ab Henrico VIII X Rege Britanniæ oppugnatus. Anno 1522 à Ferdinando prima persecutio in ducatu Wirtembergico in Lutheranos cœpta. 1523 Bruxellis duo Augustiniani ob idem dogma exusti. 1524 Antonius Dux Lotharingiæ Bullam Leonis X Papæ contra Lutherum exsequitur. Apud Ditmarsos ob Evangelii doctrinam Henricus Zutphanensis interfectus. 1525 Bellum sacramentarium inter Lutherum & Carolostadium cœpit. 1526 Colloquium Lutheri cum Zvvinglio Marpurgi habitum. 1527 Anabaptistarum erroribus incipientibus Leonhardus Cæsar Evangelii Professor ob illius doctrinam,

ctrinam, jubente Bavaro principe Gulielmo exustus est. 1529 Nomen protestantium contra decretum Spirense primùm in Germaniâ auditum. Duo studiosi Coloniæ Agrippinæ per sesqui annum in custodiâ detenti, damnati & cum commiseratione plurimorum flammis absumti. 1530 comitia Augustana. 1533, 70 Lipsenses ob Lutheri doctrinam in exsilium acti. 1534 & 37 In Galliis in suspectos de Lutheranismo magna persecutio mota fuit, multi viri horribili sanè spectaculo cremati. 1538 Christianus Rex Daniæ & Ioachimus Elector Brandeburgensis Religionem Augustanam amplexi sunt. 1540 Duo Episcopi in Angliâ ob Evangeliũ capti & Robertus Barnus Theologus Londini combustus. 1541 Arestum in Merindolanos promulgatur, Austriaci doctrinam Evangelii sibi concedi postulant, illorum postulatione à Ferdinando elusâ. 1542 edicta Lutetiæ in Lutheranos renovantur: Meti duo Dominicani docent Evangelium. Otto Henricus Palatinus ejus doctrinam amplectitur, idem Hildesemensibus facientibus. 1545. Tornaci Petrus Brulius exustus igni non magno, ut tantò major esset cruciatus: Merindolum propter Valdenses incensum & direptum à Minerio. Anno 1546 Palatinus Elector Fridericus II Doctores Evangelij instituit & Gustavus Rex Sueciæ superstitione abolitâ religionem veram sancivit. Initium concilii Tridentini factum, cædes Ioannis Diazii nefariâ manu fratris Alphonsi patrata; Archiepiscopus Colonienſis à Pontifice excommunicatus, & quatuordecem Meldæ in Galliis ob Evangelii doctrinam flammis absumti. 1547 Reformatio Ecclesiarum per Angliam cœpta, & subsequente anno LIBER INTERIM fabricatus & procusus.

cusus. Lutetiis propter Lutheranismum graves fuere persecutiones, quas edictum 1550 Regis Galliæ confirmavit, & Cæsaris in Belgio. Osiander novum de justificatione dogma ecclesiis opposuit in Borussiâ. Anno 1552 Pacificatio Passuviana sancita, multi tamen insequentibus annis Lutetiæ, Lugduni in Galliis, Londini in Angliâ ob Evangelii professionem, & in aliis locis fuerunt exusti, ita ut anno 1554 Paulus Vergerius annotet propter Lutheri doctrinam 50000 capitis damnatos esse. Ex Bohemiâ 1555 circiter 200 Ecclesiæ reformatæ ministri exulare jussi. Anno 1555 à Paulo IV secta Iesuitica confirmata. Anno 1556 Dux Borussiæ, Carolus Marchio Badensis, confessionem Augustanam recipiunt. 1557 Gravissima persecutionis procella prostravit Lutetiæ Evangelicos expugnato vico Iacobæo trecentis fidelium noctu in concione congregatis. 1559 Sancita pax religionis Augustæ; multi in Hispaniâ propter religionis professionem cremati, & etiam in Galliis, Anno 1560 atq; in Calabriâ, Elizabetha tamen Angliæ Regina veteri superstitione profligatâ religionem reformatam introducit. 1561 Colloquium Possiacanum in Galliis institutum. 1562 primum bellum Gallicum ob religionem gestum, Laniena Vassiacensis peracta 1564 Synaxis sacra in utraq; specie etiam Laicis cõcessa ab Imperatore Ferdinando. Anno 1568 secundum bellũ Gallicum ob religionem factum quo anno mandato Ducis Albani capite truncati sunt duo Comites, Egmondanus & Hornanus, & in Belgio brevi tempore 18000 per carnificem interfecti. 1569 Bellum tertium Gallicum, religionis causâ susceptum. 1572 LVtetia Mater sVos

natos De Vora Vit, ubi ad decem capitum millia intra paucas horas necata mirâ & inauditâ Lanienâ, in quâ tamen reformati ab ictu resurrexerunt, à cæde revixerunt, & ab ipso decremento succreverunt. 1580 Liber Concordiæ publici juris factus, à multis oppugnatus. 1582 Ad conventum Augustanum Calendarii noviter correcti Exemplaria à Gregorio XIII Papâ missa, à reformatis repudiata. 1583 Colloquium Quedlinburgense cæpit, anno sequente Disputatio de Eucharistiâ Heidelbergensis habita. Anno 1585 Edictum publicatum Heinrici III Galliarum regis in reformatas ecclesias: Excommunicati sunt à Sixto V Papâ Henricus Rex Navarræ & Henricus Princeps Condæus, atq; eorum regna ac bona omnia prædæ omnibus & singulis exposita. 1586 Colloquium Mompelgartense processit & editus consensus mutuus inter Ecclesias Poloniæ majoris & minoris, Russiæ, Lithuaniæ, Samogithiæ quæ juxta confessionem Augustanam Fratrum Bohemorum & Helveticam inter se dissentire videbantur. 1588 Classis Hispanica minas omnibus reformatis in toto terrarum orbe intentans, triumfum canens ante victoriam pugnâ navali pessundata & deleta. 1590 Colloquium Badense à Iacobo Caroli filio, susceptum. 1592 Reformatio Academiarum Witebergensis & Lipsensis mandato Friderici Wilhelmi ducis Saxoniæ & Administratoris tentata. 1593 Henricus Borbonius IV Galliarum & Navarræ Rex ad castra Pontificiorum transiit. 1598 Wiricus à Dhaun Comes in Falckenstein & Oberstein crudeliter ab Hispanis interfectus ac mortuus crematus est. 1600 Colloquium Fontenoblense inter Plessæum

sæum & Episcopum de Eureux in Galliis institutum, quod anno 1601 Ratisbonense subsequutum fuit. 1602 Geneva Religionis reformatæ arx divinitus servata. 1603. Vappincii in Delphinatu Galliæ Synodus Ecclesiarum reformatarum, in quâ conclusum Episcopum Romanum esse ipsissimum Antichristum. 1604 Simon Lippiensis Ecclesias ditionis suæ à reliquiis sordium Papisticarum repurgavit. 1605 Theologi Electoralis palatinatus Evangelicas Ecclesias ad fraternitatem & concordiam mutuam adhortati sunt. 1605 Abierunt ex hac vitâ Pontifices Clemens IIX & Leo XI atq; Theodorus Beza. 1606 Veneti à Paulo V excommunicati, & ecclesiæ Scotiæ cum Anglicanis conformatæ, præfectiq; ijs episcopi. 1607 Academia Giessena in Hassiâ aperta. 1609 Austriacis Religionis libertas à Matthiâ rege Vngariæ promissa & Literæ Majestaticæ Bohemis 13 Julii, Silesiis 26 Augusti à Rudolpho II Imperatore impertitæ quibus de Religionis libertate utrisq; cavit. 1610 In Austriâ quarto etiam statui seu plebeio à Rege Matthiâ mense Martio Liberum Religionis exercitium permissum & VNIO Principum & statuum Evangelicorum HalæSuevorum sancita. 1611 Literæ Majestaticæ Bohemis & Silesiis à Rudolpho concessæ à Matthiâ Rege Vngariæ & Bohemiæ confirmantur, Rotemburgi ad Tubarim mense Julio principes uniti congregantur. Vilnæ in Lithuaniâ cœtus fidelium à Pontificiis duriter tractatur, ut & Coloniæ reformati urbe eijciuntur & pecuniis mulctantur. Pragæ tamen Ecclesiæ à Germanis Evangelicis in urbe Veteri & minori ædificari cœpêre. 1614 In Marchiâ Brandenburgensi Ecclesiæ à Io-

anne Sigismundo Electore reformatæ. A Philippo Wolfgango Palatino Iuliacensibus Clevensibus & Montanis Libertas Religionis concessa publico programmate. Errores stupendi duodecim articulis comprehensi Ezechielis Medi Pseudoprophetæ in apertum producti; Socinianismus item Racoviæ Polonorum operâ, in Germaniam effusus veram divinitatem IESU CHRISTI blasphemo ore & calamo negans & impugnans. Exercitium Confessionis Augustanæ D. Bachelebo in Austriâ inhibitum. 1615 Lutheranus sacerdos revocat relligionis habitæ professionem Pragæ publicè mense Octobri in templo omnium sanctorum & reformatos omnes Diabolo mancipat. 1616 Episcopus Gleselius galero Cardinalitio ornatus, quo biennio post privatur. Huguenottis exercitia religionis liberè permissa à Ludovico Rege Galliæ. In Poloniâ templa fidelium incensa. 1617 Tumultus Nussiæ Silesiorum in causâ Religionis orti. Archiepiscopus Salonitanus, Marcus Antonius de Dominis primas Dalmatiæ & Croaciæ papali superstitioni renunciavit, decē de Republ. Ecclesiasticâ libris editis. Disidia Gommoristarum contra remonstrantium antiquorum & Novatorum Arminianorum remonstrantium in Belgio Ambstelodami & Lugduni Batavorum in seditionem eruperunt publicam, quæ tamen spe synodi Nationalis indicēdæ nonnihil sopita. Conventus Heilbronnæ unitorum habitus seculum repurgatæ primùm à M. Luthero doctrinæ & Ecclesiarum per Germaniam reformatarum celebratum; Christo Soteri Veritatis Vindici, Lucis Evangelicæ restitutori, Laudes solennes gratis animis exsolutæ

ſolutæ & beneficium hoc poſteris perpetuum exoptatum Monetâ, quâ argentea, quâ aurea, in memoriam hujus anni ſecularis à principibus & civitatibus pluribus procuſa. Antilubilæus à Romanis habitus ſed LVMen EVangeLII perennabIt DeVs noſter! cui ἡ εὐλογία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία, καὶ εὐχαριστία, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ ἰσχὺς εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

APOCA-

APOCALYPSIS
JOHANNIS THEOLOGI

CAPUT I.

ARGVMENTVM.

Genus doctrinæ ostenditur,
Quod hoc tractatur in libro:
Candelabrorum & siderum
Septem patet mysterium.

v. 1. HÆc arcanarum rerum patefactio, IESU
CHRISTI, cui verus mentemq; animumq;
(IEHOVA
Magnam inspirârat, venturi ut præscia
(Vates
Dicta suis servis aperiret, moxq; futura
Panderet, involvens veris fata abdita verbis.
Ille autem Angelici juvenis citò munere fretus,
Dicta suo posuit servo sacranda Iohanni:
v. 2. Qui propriore DEI jam afflatus numine, scribtis
Nil mortale sonans, mandavit verba IEHOVÆ
Arcana, & IESU CHRISTI inviolabile jussum.

Testatus

Testatus sacrum, ac varijs spectacula visis.
v. 3. Ille beatus erit, qui oculorum hæc perlegit usu
Verba Prophetiæ, quiq; auribus haurit apertis
Sponte sua, juxtà dicetur & ille beatus;
Quiq; animo secum paraget, scripta omnia in istis
Percipiens, pars hujus erit, non parva salutis:
Nam præfiniti jam proxima temporis hora.
v. 4. Tertius ipse hominum interpres divumq; Iohannes
Cœtibus in terrâ sacratis Aside Septem. Ovid.
Sic loquor: Alma siet nunc vobis gratia Pacis
Concomitata bono mansuræ, defluæ ab illo
Qui est semper, Qui semper erat, quemq; ultimus orbis
Venturum expectat! Genijs tum defluæ ab illis,
Antè DEI solium quorum est aspectus amœnus.
v. 5. Gratia sit vobis etiam tum copia Pacis
A IESU CHRISTO, Testatio abore profusa.
Quem fidum testem facit; ille ex morte sepulcri
Ætherias primò redijt redivivus ad auras,
Ac princeps Regum toto jus dicit in orbe.
Et nos immensi vinclo complexus amoris
Pollutos tetris vitiorum sordibus, atro
Eduxit cœno scelerum, lautosq; redemit
Vltrò purpurei liquidas per sanguinis undas:
v. 6. Et qui donavit diademata regia nobis,
Et pictas vestes, sceptrumq; sacramq; Tiaram.
Reges atq; sacerdotes nos munere tamto
Efficiens, subdensq; DEO æternoq; parenti:
Illi immortalis sit gloria, sit quoq; constans
Robur, Amen, nullis unquam delebile seclis.
v. 7. Ecce venit denso velatus nubium amictu,
Atq; omnes cernent oculi illum, illum impia turba.

Conſpiciet cujus manibus transfixa cruentis
Membra ejus roſeo tinxerunt ſanguine terram,
Coram illoq; Tribus terræ haut ſine queſtibus omnes
Horrendis lamenta edent lugubria, ſævis
Planctibus implentes, dirisq; ululatibus auras
Reflexâq; ita AMEN quoq; voce remugiet æther.
v. 8. Alpha ego & Ω mega ſum, ſum primus & ultimus,
Principium & finis, mundi Radix & origo, (idem
Dicit, qui plenus toto Dominator in orbe eſt,
Qui VERE EST, QUI VERE & ERAT, QUI VERE
(etiam IPSE
Venturus, penes eſt quem cunctipotentia rerum.
v. 9. Ipſe Ioannes qui veſter ſum frater, & idem
Sum veſter ſocius, veſter vereq; tribulis
Afflictu in vario, in regno, in patientiæ amore,
Et IESU CHRISTI ſpe, propter cælica verba
Pulſus in exilium, ac propter conſtantiam amoris
Et fidei in IESUM CHRISTUM, teſtatio de quo
Omnis erat mihi, tum fueram patmi incola, Patmi
Quæ maris Ægæi Sporadumq; una Inſula fertur
v. 10. Cùm correptus eram cæleſti flamine Soli
Luce ſacrâ, CHRISTUS quâ emerſit victor ab umbris,
A tergo audivi reboantem murmure vocem
Immani quantum Tubæ dat ſonitum ære recurvo.
v. 11. Alpha ego & Ω mega ſum, ſum primus & ultimus ille,
Quod cernis chartæ manda, atq; inſcribe libello
Huncq; Aſiæ ſeptem collectis cætibus ipſum
Ipſi Epheſo, & Smyrnæ, poſitæ ad ripamq; Caici
Pergamo, & aurifero Thyateiræ diviti ab Hermo
Sardibus & Tmolo vicinis vitifero, atq;
Quâ philadelphia habet ſaxoſos ardua colles,

Et La-

Et Laodiceiæ, quæ dicta Dioſpolis olim,
Omnibus his junctim (ſic fas) transmitte legendum!
v. 12. *Componens me igitur, quo rectè cernere poſſem*
Obtutu gemino hunc, cujus percuſſerat aures
Vox noſtras ſonitu ingenti, candelabra vidi
Couverſus ſeptena auro rutilantia puro.
v. 13. *Candelabrorum ſeptem in medioq́ notavi*
Os habitumq́ hominis Nato ſimilem, undiq́ veſtis
Ad talos velabat eum demiſſa (podêris Eſa: 61.
Dicitur hæc) ſtringebat ei & Zona aurea pectus. Eſa: 11.
v. 14. *Et caput, Et capitis lanam albam rite capilli*
Æquabant candore pares, ceu vellera, floccis,
Quæ niveis flabris Borealibus incita ſpargit
Bruma ſolo, cum marmoreâ glacie arva ſerenat;
Illius ardebantq́ oculi, flamma ardet ut ignis. Pſal. 43.
v. 15. *Ipſa pedum effigies ceu miſſâ orichalca nitebat*
Ignibus accenſam in fornacem, atq́ æmula flammæ
Scintillabat, illiûs dicentis in ore
Vox erat, ut denſus multarum ſtridor aquarum.
v. 16. *In dextrâ at ſtellas ſeptenas ille ferebat,*
Atq́ ex ore ejus, Romphæa exibat acuta, Epheſ. 6.
Mucrone ancipiti; facies ejusq́ nitebat
Ceu Phœbus medium ſi aſcenderit igneus axem
v. 17. *Cùm tali verò facie mihi cognitus eſſet;*
Exanimis ſubitò cecidi genua illius antè:
Imponensq́ meo capiti dextram, ocyus infit,
Ne tremor oſſa Tui nunc corporis occupet! acrem
Pone metum! ille ego ſum primus, ſumq́ ultimus ille
v. 18. *Et qui vivo, fui ſed quondam mortuus, ecce*
Nunc immortalis ſeclorum in ſecula vivo:
Nunc exſultet Amen! Clavis mihi namq́ poteſtas

Est data, quâ resero inferni ostia, & ostia lethi.
v. 19. *Nunc calamo manda meministi quæ Tibi visa*
Et quæ sunt, & quæ posthæc sunt ipsa futura!
v. 20. *Septem stellarum mysteria dextera nostra,*
Quæ gestare Tibi visa est, atq; aurea septem
Candelabra, illæ septeno lumine stellæ
Sunt genij septem, totidem qui cætibus almis
Præsunt, sunt cætus totidem candelabra septem.

CAPUT II.

ARGVMENTVM.

Jubetur ipse Apostolus
Asiæ docere Ecclesias,
Apostolorum ut dogmata
Tenere pergant longius.

v. 1. *ADgenium scribas, Ephesina Ecclesia cætu*
Quem sacro agnoscit; summo isthæc ore profatur,
Qui dextrâ fert stellarum radiantia septem
Lumina, & inter septem illa aurea candelabra.
v. 2. *Ambulat in medio; ✝ Tua sunt mihi cognita facta*
Atq; tuus labor, & tolerantia summa, quod atq;
Ferre malos nequeas, quodq; explorâris eos, qui
Classe in Apostolicâ sese dixere magistros
Illorum spirasse cavos mendacia folles,
v. 3. *Offendens, ✝ & pressus eras onere undiq; denso;*
Et suffers, & cura Tibi subijsse labores
Immanes fuit una mei de Nominis amplo

Incre-

Jncremento, nec Te quis lasseſcere vidit.
v. 4. Est aliquid tamen, obijciam Tibi jure bono quod,
Jpse remisisti de primi gratiâ amoris.
v. 5. Vndè ergò excideris semper memor esto, animumq;
Converte in melius! resipisce! prioraq; facta
Exerce: Si segnius egeris, ocyus ipse
Te adversum veniam, candelabrumq; movebo
Ecce suum indè loco, donec mens sana sequatur,
Atq; animum in melius melior sententia mutet.
v. 6. Hoc sed habes etiam, Tibi quod facta omnia sordent
Secta, cui primum Nicolaüs nomen & ortum
Jndidit, & lecti communia jura Iugalis
Permisit cunctis, vulgarem & conjugis usum
Vnius omnibus: hanc mente ipse adversor & odi.
v. 7. Cui purgatæ sunt planè aures, audiat ille
Concilijs sacris quid dicat flaminis aura.
Ætherei: dabo victori jam præmium edendi
Fructum perpetuæ frundenti ex arbore vitæ
Jn medio Paradeisi, quæ summum aëra vincit
Vertice sublimis, tum latè jactat odorem.
v. 8. At Genio, quo Smyrnæorum Ecclesia gaudet
Scribe! ille hæc dixit, qui primus & ultimus, ille,
Qui fuit extinctus letho, & mox redditus auris
v. 9. Ætherijs vivit: ✝ Tua nunc opera omnia novi,
Et tua queis nimiùm mens est vexata, labores
Atq; tuos tenues fortunâ paupere census
(Cùm sis ipse tamen dives) Blasphemia eorum
Non ignota mihi est, qui sese Nomine vano
Judæos jactant, nec sunt de semine Judæ
Progeniti, Satanæ mater Synagoga sed horum
v. 10. Nil metue ex istis, quæ mox passurus es, ecce

Tempus erit, quo aliquos ex vobis carceris umbris
Jnijciet Satanas, vinclis & nectet aheneis
Vestra exploretur dignè ut Patientia verâ
Concomitata fide, denos afflictio Soles
, Vos gravis urgebit, Tu sis maneas q; fidelis
, Jngruerit vitæ quando ultima linea mortis
, Atq; tuo dabitur capiti vitæ ipsa corona.
v. 11. Audiat auritus, quid dicat flaminis aura
, Cœtibus ætherij, qui justis vicerit armis,
, Hunc lædent mortis non unquam tela secundæ.
v. 12. Et quem Pergameis Ecclesia comprobat oris
Legatum Angelicum, illi is thæc transscribere perge
Hæc dicit gladio ancipiti qui verberat auras:
v. 13. Novi opera ipse Tua & novi Tua septa domorum
Quis habitas, Satanæ Thronus est ubi Regius atri
Quod q; meum teneas Nomen, neq; perfidus unquam
More fidem veram, nec subdolus ore negasti.
Quamvis occisus fuerit meus ille fidelis
Antippas Martyr furiosis (proh dolor) ausis,
Vestram iris Satanas ubi percitus incolit urbem.
v. 14. Pauca habeo adversum Te disceptanda, sed istic
Quod vivant tecum, vestigia qui Balaami
Sectantur, duce quoquo primo autore Balacus
Rex didicit struere infausto offensacula casu
Jsacidis, ederent mactatas ut simulacris
Carnes, in Venerem spurcam ruerent q; furentes.
v. 15. Sic quoq; habes Tu qui Nicolai dogma nephandum,
Quod vetitæ Veneris commercia mutua sancit,
Ore animoq; probant, odio quos prosequor acri.
v. 16. Migra animum in melius, tandem & resipiscere perge;
Sin minus hostis ero tuus, atq; in prælia stringam

Exer-

Exertum gladium noſtrioris, eisq́ nocebo,
Depugnans animo invicto, tam pectore forti.
v. 17. *Aures, cui geminæ, vocem hauriat auribus iſtam,*
Concilijs ſacris quam dictat Spiritus almus,
Illi, qui juſtum titulum victoris habebit,
De mannâ cibus occultâ tribuetur olympo
Deciduus ſummo dabitur quoq; calculus illi
Candidus atq; novum Nomen, quod calculus inſe
Scribtum oſtentabit, quod nemo noverit, uno
Excepto, dignè nomen qui acceperit iſtud.
v. 18. *In Thyatirenſi Cætu, Genio iſta legenda,*
Mittito: Sic dicit viventis Natus Iovæ
Ex oculis cujus flammæ emicat igneus ardor,
Cuiq́ pedes ſimiles orichalco utrinq; renident.
v. 19. *Nota mihi eſt operum, credas, vis æqua tuorum*
Officia atq; pijs Tua præſtita, nota fides q́
Eſt tua, nota mihi eſt tua tum tolerantia ſumma,
Plura prioribus ultima ſunt quoq; cognita facta.
v. 20. *Pauca obverſantur, quæ diſceptanda ſuperſunt*
Quod Iezabelem (quæ vano nomine ſeſe
Fatidicam jactat, correptam & flamine ſancto)
De grege fœmineo permittis in æde docere
Sacratâ, atq; meos falſis ſeducere ſervos
Dogmatibus, Paphiæ ut ſolvant ſolennia honorum,
Veſcantur ſimulacrorum & luſtralibus extis.
v. 21. *Ecce data eſt illi finiti temporis hora,*
Quâ fugeret Venerem atq; in conceſſos hymenæos
Abnueret penitus, ſed non reſipiſcere viſa eſt.
v. 22. *Ecce ego eam abijciam in lectum turpem q́ grabatum*
Atq; illos, Venere illicitâ qui gaudia mixtim
Quæſivere ejus, mox ingens tanget & anget

Impræ-

Imprægnata malis varijs afflictio, Vitæ
Ni respiscendo reparent mala facta prioris.
v. 23. *Et natos ejus crudeli funere mergam*
Occisos, noscet sanctorum Ecclesia & omnis
Scrutari renes me posse & posse latentes
Rimari cordis thalamos, mentisq; recessus
Atq; operis vestris dabitur justissima merces.
v. 24. *Sed vobis dico reliquis q; annuncio junctim*
Qui Thyatirenses communi jure penates
Incolitis, nec doctrinam mente hancce tenetis,
Nec Satanæ commenta unquam ingeniosa probastis,
Atq; profunda sophismata vulgus ut inquit,
Non imponam aliud vobis onus, unicum id esto
In vobis, vobis quid significare requiram.
v. 25. *Hoc maneat vobis & hoc retinete, videtis*
Donec præsentem me vestras tendere ad oras.
v. 26. *Si quis victor erit meaq; observaverit acta*
Constans ad metam extremam finemq; laborum,
Imperium in gentes illi sine fine perenne
Conciliabo potens, cunctisq; immobile seclis.
v. 27. *Ferrataq; illas virgâ reget, atteret atq;*
Ceu glomerata luto, limo quoq; vasa subacta
Accepi à genitore meo velut ipse gubernum:
v. 28. *Atq; illi matutini dabo sideris ignem*
v. 29. *Qui geminas liber curarum possidet aures:*
Audiat ille, ferat quæ flatus cœtibus almus.

CATUT III.

ARGVMENTVM.

Dicta-

Dictatur quinta Epistola
Ad relliquas Ecclesias,
In promovendâ gloria
DEI esse pergant sedulæ.

SArdibus, in quarum medio Pactolus arenas
Eructat rutilas, celebrisq; Ecclesia doctos
Præcones habet, hæc evolvat scripta legendo:
Hæc ait, ille tenet qui septem flamina Iovæ,
Et totidem nitidâ radiantia sidera dextrâ;
Explorata mihi tua sunt opera omnia, Nomen
Quod viventis habes, non omen, putre cadaver.
v. 2. Esto vigil, jam jam certam & minitantia pestem
Cætera nunc stabili complens vitalibus auris
Et motu vegetans penè inter mortua membra
Antè DEI vultum tua namq; opera omnia prorsus
Deficiunt, nec vel levis hæc perfectio tangit.
v. 3. Esto memor tibi quæ data sint auditaq;, & illa
Volve revolve animo præsenti, & respice solers,
Ni vigil excutias conceptum mente Veternum
Te super adveniam celeri pede, furis ad instar,
Nec tibi, quâ veniam subitò, sperabitur hora.
v. 4. Nomina sed quædam superant in Sardibus ipsis,
Quorum non ullis maculis infectus amictus.
Idcircò niveis hi mecum vestibus ibunt
Albati, quia sunt isto dignissimi honore
v. 5. Qui validâ dextrâ, qui justis vicerit armis "
Huic circumdabitur niveo stola tegmine splendens, "
Nomen & ex libro vitæ haut delebitur unquam "
Illius, & Nomen coram Ingenito genitore "

v. 1.

Patre meo in cœlis faciam notum, atq; fatebor.
Aligerum sanctæ superâ in regione Catervæ.
v. 6. Audiat ille, aures geminas qui sentit apertas,
Flaminis ætherei quam vocem Ecclesia captet
v. 7. In Philadelphtiâ Genius legat ista notata,
Sanctus & hæc verax cœlesti ex ore profatur,
Qui Davidis habet correpti numine sancto
Iſaidæ clavem: penes hunc aperire potestas,
Quod nemo claudit, penes hunc est claudere rursus
Vis, aperire hominum quod non usquam audeat ullus
v. 8. Cognitor Exactus sum nunc operum ipse tuorum
Ecce tibi reserata patet nunc janua per me,
Noctes atq; dies, nec quisquam claudere eandem
Vivé dolove potest, in te virtutis imago
Exiguâ specie nam diæ parva remansit
Atq; meæ observans tenuisti oracula vocis
Nec Nomen nostrum inconstans Tua lingua negavit
v. 9. Ecce tibi subdam, Satanæ Synagoga clientes
Quos alit, & dicunt qui se ortos sanguiae Iudæ,
Cum non sint, vanisq; efflant mendacia verbis;
Ecce inquam faciam, veniant ut supplice vultu
Ad te humiles, pronis genibus similesq; roganti
Procidui antè pedes Te quàm reverenter adorent,
Et nostrum in te sincerum experientur amorem.
v. 10. Observata tibi quoniam tolerantia nostri
Sermonis, Te etiam servabo tempore in illo
Turbine cùm veniet glomerata procella malorum,
Immensa, & totum præceps super irruet orbem,
Justè explorentur, quò quà est habitabilis orbis
Humani, qui terga premunt etiam ultima terræ
v. 11. Ecce citò venio, quod habes retinere memento.
Nemo tuæ rapiat nitidæ quo serta Coronæ,

v. 12. In-

v. 12. *Insignem referet domito qui ex hoste triumfum*
Ille erit æde DEI *sacrâ mihi firma columna.*
Fruſtra hanc dimoveat ferrato robore qui vis
Viribus aut validis: nuſquam egredietur ab illâ
Pulſa foràs Nomen feret ille in fronte Iehovæ
Aſſcriptum, feret hic aſſcriptum Nomen & urbis
Cæleſtis: nitidum Solymæ Nomenq́ recentis,
Ex ſuperâ, Duce quæ Iovâ, deſcendit ab aulâ
Cælitus, & noſtrum Nomen novitate politum.
v. 13. *Aures cui geminæ, patulas accommodet aures,*
Quæ fert concilijs ſacris ſpirabile Numen.
v. 14. *Hæc Laodiceæ Genio nunc illine Chartis*
Verba legenda: Hæc dicit Amen, veriſſimus ille
Sinceræ & fidei Teſtis, quo principe cuncta
Condita ſunt, æther rutilantibus undiq́ ſtellis
Lucidus, ac mare velivolum Terræq́ jacentes
Remigio volucrum & denſo penetrabilis aër
v. 15. *Eſt facies operum mihi cognita ritè tuorum.*
In te nec calor eſt, nec frigus, frigidus ô ſi
v. 16. *Eſſes, vel calidus! + quia ſed nec fervidus, & nec*
Frigidus, at tepidus: vomitu ejicièris ab ore!
v. 17. *Dicis enim, mihi divitiæ ſunt fœnore magno*
Partæ, maxima opum mihi vis eſt addita dudum
Non opus eſt ullâ mihi re, circumfluo Gazis,
Nec recolis quod ſis planè ærumnabilis, atq́
Sis æquè miſerabilis, & rerum omnium egenus,
Atq́ trahas triſtem claro ſine lumine vitam,
Et nudus lacero prorſum verſeris amictu.
v. 18. *Do tibi conſilium à me nunc merceris ut aurum*
Sæpè exploratum clauſis fornacibus igni,
Quo valeas opibus, numis turgeſcat & arca

Aggestis, coëmas etiam velamina vestis
Arte laborata, ut circumdet corpus amictu
Ne pateant casso Tua tegmine membra pudenda,
Membra verecundis, quæ nemo usurpat ocellis;
Quòq; oculis, videas, geminis collyria inungas!
„ v. 19. Ecce ego depereo quoscunq; amplexibus arctis:
„ Arguere hos soleo tum castigare frequenter:
Ergò age fervorem nunc concipe, nunc resipisce!
v. 20. Ecce ego sto juxta postes, atq; ostia pulso,
Si quis fortè sonum facilis nostri audijt oris
Atq; serâ demtâ versato & cardine pandet.
Hunc ego conveniam atq; epulis conviva futuris
Illius accumbam; mecum mensaq; fruetur
Communi ille etiam, gratus cœnabit & Hospes.
v. 21. Qui palmam obtinuit devinctus tempora lauro
Huic tribuam, ut solio mecum consîdat in uno;
Sicut ego vici, solij mihi & æqua potestas
A genitore meo concessa est, omne per ævum.
v. 22. Aures, cui geminæ, faciles nunc præbeat, indè
Cætibus observet, quæ nunc sacer halitus offert.

CAPUT IV.

ARGVMENTVM.

Narratur mira visio,
Majestatis quæ continet
Divinæ apertè gloriam
Senum beatam laudibus.

v. 1. ATtollens oculos ſurſum, ecce patebat Olympi
Janua, convexi domus ætheris atq; beata
Altiſoni, & vox quæ primò percuſſerat aures
Prima meas, tanquam Tuba grandiſona ære canoro,
Me compellabat: ſuperas has ſcandito in arces,
Regia tecta DEI, nam me monſtrare videbis
Quæ fieri poſthac fatorum juſſerit ordo.
v. 2. Atq; ſacer ſubitò divinæ ſpiritus auræ
Corripuit mentem, & vexit ſuper æthera; Cœli
Ecce thronus fuerat poſitus regalis in arce
v. 3. Oſtro aurog; rigens, cui quidam inſederat, ✝ hujus
Aſpectum Iaſpis referebat, Sardius atq;
Nativo igne lapis: Solij circumdabat autem
Iris circuitum viridanti luce, Smaragdo
v. 4. Conſimilis: ✝ & in orbe throni fuit ordo Thronorum
Bis denum & quatuor, quorum tot terga premebant
Canitie venerandi & circum tempora plumis,
Cygnæis ornati & amicti veſtibus albis
Regales auro impoſitas ſibi quisq; coronas
Geſtantes capitis ſublimi vertice nudi
v. 5. Clara throno ex illo prodibant fulgura vero
Mugitu & perterricrepo tonitralia flammis
Murmura in aëre, latitonantibus atq; boatus
Vocum atq; antè thronum ſeptenæ lampades igne
Ardentes nitido, Iovæ quæ flamina ſeptem.
v. 6. Antè Thronum ſtabat vitreum mare fluctibus un-
Cryſtalli faciem referens translucidi, & ecce (dans
Sede throni media medij orbe throniq; rotundo
Quattuor antè retroq; oculis animantia plena.
v. 7. Primum animans vaſtâ referebat fronte leonem,
Alterum erat vitulo ſimile, os ſed tertium habebat

Humanum, atq; hominis faciem cum corpore toto,
Quartum animans Aquilæ simulacra volantis agebat,
v. 8. *Per se quattuor atq; animantia singula habebant*
Sex alas in circuitu, lucentibus intùs
Omnia erant oculis plena, assiduaq; canebant
Voce (quies pausæ nulla interceſſerat hymno
„ *Sanctus, ter sanctus, sanctus DEUS ille JEHOVA)*
„ *Omnipotens Dominus: Majestas dedita cujus*
„ *Per terras, tractusq; maris, cœlumq; profundum.*
„ *Iſte erat, unus & est, iſte est venturus & unus.*
v. 9. *Illaq; cum tribuebant hanc animalia laudem*
Et Majestatem Auguſtam & decus ardui honoris
Egregium, & meritas solvebant pectore grates
Illi, qui solio solus residebat eburno,
Cujus vita manet longum immortalis in ævum.
v. 10. *Bisq; seneſ duodeni juſto illi ordine, nixi,*
Prociduis genibus curvabant corpora, coram
Illo, qui solio residebat solus in alto,
Et reverenter adorabant in ſecula cuncta
Viventem, juſtis precibus votisq; rogabant
Supplicibus, decus ante throni, facilesq; ſuarum
Serta coronarum abijciebant, talia fantes:
v. 11. *Hoc Tua Majestas meritò Domine ipſa meretur,*
Vt tibi cedat honos, Tibi cedat gloria, perpes
Et virtus uni! Tu nam fabricator es orbis
Immenſi, cœliq; ſator, ſunt numine cujus
Condita cuncta opera ex nihilo, cujusq; ſequuntur
Juſſa voluntatis terra ignis pontus & aër.

CATUT V.

ARGVMENTVM.

Librum

Librum sigilla muniunt.
Septena, Nemo hunc apperit.
Hoc dignus ausu agnus DEI,
Cantatur ore cœlitum.

v. 1. POst iterum vidi solio residentis in aureo
Ad dextram librum, cujus fuit interiore
Pagina complexu calamo signata, notisq;
Illita divinis, septem à tergoq; sigillis
v. 2. Obsignatus erat: ✝ Genium fortemq; subindè
Conspexi magnâ præconis voce tonantem:
Ecquis dignus erit, qui signis usq; remotis
Hunc librum apperiat, septem solvatq; sigilla?
v. 3. Nemo autem poterat neq; siderei incola cœli,
Nec quoq; frugiferâ quisquam tellure colonus,
Nec subter nullo nixam fulcimine terram,
Librum aperire ipsum, illius aut agnoscere signa
Aut leviter lustrare oculorum luminis usu
v. 4. Hinc lacrimis densis vultumq; genasq; rigabant
Ducebamq; horas multas ploratibus, esset
Quod nemo inventus, qui librum aperire legendo aut
Lustrare obtutu aut gemino comprendere possit.
v. 5. Compellans me unus tum desenioribus illis
Dixit: siste tuas lacrumas & desine fletum;
Palma est victoris Judæ de stirpe leonis,
Is meruit clausi chartas aperire latentes
Libri, & septem ejus munita resolvere signa.
v. 6. Attollens igitur sursum mea lumina, & ecce
Inter septa throni atq; animantia quattuor illa,
Presbyteros interq; illos stantem aspicio agnum,

Tanquam

Tanquam mactatum, cui septem cornua, juxta
Septem oculi, qui sunt septem, mandante Jehova,
Emissa in totam passim sacra pneumata terram.
v. 7. Js veniens librumq; ex dextrâ acceperat ejus.
v. 8. Qui nixus solio residebat. ✝ Cumq; teneret
Ambabus manibus: mora nulla, animalia bina
Bis, tum presbyteri viginti quattuor illi
Ante agni vultus curvabant corpora flexis
Poplitibus, Citharas gestantes quisq; bicornes,
Ex auro & phialas fabricatas quisq; tenentes,
Plenis inficerent quæ tum suffitibus auras,
Symbola sanctorum votorum & laudis odoræ.
v. 9. Et cecinêre alacres suavi nova cantica voce,
Dicentes; Ecquis nam Te nunc dignior esset,
Qui librum acciperet, signa atq; recluderet ejus
Victima tu mactata etenim crucis horridâ in arâ
Surrectæ, & pretio proprij effusoq; cruore
Sanguinis addixti proprios Iovæ, ipse redemtor
Noster & ex cunctis tribubus linguisq; coactos,
Et populis & gentibus omnibus asseruisti
v. 10. Fecistiq; DEO nostro nos undiq; Reges
Atq; sacerdotes pinguis sacro unguine olivi
Perfusos, ecce in terrâ regnabimus omnes.
v. 11. Aspexiq; iterum & fidis iterum auribus hausi
Ipse Throni quà se porrexerat ambitus atq;
Illa animantia erant & presbyterûm chorus omnis,
Angelicæ voces densas & verba catervæ
Hanc si quis numeret centena en millia millies
Centena & decies offendet millia justè
Aligerûm magna dicentum & voce canentum,
Ille est in cruce mactatus dignissimus agnus,

Qui

Qui accipiat majestatem omnipotentiæ, & amplas
Divitias, sapientiæ opes, & nobile robur,
Eximius simul adsit honos, & gloria summa,
Et benedicendo tendens ad sidera famam.
v. 12. *Sed rerum Natura omnis mihi dicere visa est*
Atq; audita etiam, quæ degunt, æthere summo,
Quæq; colunt terram & subter tellure recumbunt,
Tractusq; æquoreos tranant fluviosq; rapaces,
Ætherio insolio residenti, agnoq; potenti
Sit benedictio, honor, sit gloria, robur & omne
Secula mansurâ seriè dum secla sequentur.
v. 13. *Mox respondebant animalia quattuor illa,*
Fiat. Amen! proni in vultus tum corpore toto
Presbyteri recidunt viginti quattuor illi,
Supplicibusq; illum votis reverenter adorant
Extentum, qui vivendo perdurat in ævum.

CAPUT VI.

ARGVMENTVM.

Sigilla sex aperta sunt.
Ab agno, quæ secuta mox
Cædes, fames, lues, soli
Motus, caligo & ætheris.

v. 1. *POst vidi ut primum ex signis recluserit Agnus*
Quattuor ex illis audivi animalibus unum
Horrisoni tanquam tonitrus vocem, ista loquendo
Proferre: ocyus huc Te propipe & aspice Iane!

v. 2. Aspexi: ecce aderat strictæ contemtor habenæ
Albus Equus, latos præbens calcaribus armos,
Quiq; vehebat equo gestabat flexile cornu
Vulnificumq; arcum, summo capite atq; coronam
Prodijt & vincens ut fato vincere posset:
v. 3. Cumq; resolvisset signum æquâ lege secundum,
Alterius mihi vox animalis perculit aures
Dicentis: refer huc gressus atq; aspice plura:
v. 4. Protinus exsiliebat Equus, complebat & acri
Hinnitu latè loca ruffus singula, & ejus
Sessori injunctum, genialia tempora tollat
Optatæ Pacis, rabiosa in præliaq; armet
Vnanimes, quo alios alij atro funere mergant
Vulnera sæva manu crudeli plurima dantes;
Et datus est illi gladius feralis & ingens.
v. 5. Tertia cùm dextrè fuerant resoluta sigilla,
Tertij erat mihi vox animalis cognita dicens:
Heus age rumpe moras omnes veni & aspice rursum,
Ecce niger sonipes stimulis agitatus, & irâ
Concitus, intrepidè glomerabat in aëre gressus
Quiq; sedebat Equo, dextrâ gestare stateram
v. 6. Visus. ✝ & illa inter bis bina animalia vocis
Auditus sonus est dicentis: venditur unus
Triticeo ex fœtu denarI pondere Chœnix
Tresq; valore istos denarius hordei adæquat
Sed cave ne lædas surgentis munera Bacchi
Dulcia, tum pinguem succum fragrantis olivæ:
v. 7. Vtq; resignatum quartum facili arte sigillum,
Quartum animans voces auditum est edere tales;
Ecce venire Tui officij est & cernere plura,
v. 8. Tum vidi, ecce aderat multo pallore Caballus

Infectus

Infectus tetro, nomenq; insessor habebat
Illius horrificæ mortis, quam luridus orcus
Pone sequebatur misereri & nescius, illis
Ecce datum imperium, quo possint tollere quartam
Partem hominum ense, fame &, peste, & per secla ferina.
v. 9. Cera sigilli, cùm quintò disrupta fuisset
Illorum conspexi animas sine corpore puras "
Ara recens fuerat qua imbuta cruore piorum; "
Mactati hi fuerant propter cœlestia Iovæ "
Verba animo intrepido quæ libero & ore professi "
Ceu testes fidei, ponebant vulnere vitam. "
v. 10. Hi clamore DEUM magno in sua vota vocabant
Dicentes: quonam DEUS usq; ultricibus iris,
Qui solus sanctus, qui verax unus es urnam
Non animas? vindex & fæta cruoribus arva
Purpureis, nostroq; undantia sanguine cessas
Judicio exercere gravi? nunc quæso reposce
Sanguinis effusi pretium, cædisq; reatus
Patratæ innumeros ab eis quos terra tuetur.
v. 11. Albæ dona stolæ tum cunctis reddita puro
Quæ candore nives superarent tempore brumæ
Et dictum est illis, ut adhuc requiescere paullo
Tempore nil indignati fastidia propter
Facta moræ parvæ pergant usq; ordine justo
Accrescat plenè numerus qui ob cælica verba
Exanimabuntur læto ore & mente professa,
Conservi tanquam illorum fratresq; fideles:
Martyrij siquidem seges ingens restat agendi.
v. 12. Sexta ubi jam dimota fuit quod cera sigilli:
Protinus ecce tremit Tellus exterrita motu
Immani, cæca & responsant triste cavernæ

Mugitu horrisono, Phœbus ferrugine cæcâ
Obtegitur nigro & cilicum velamine sacci
Purpureo, obruitur quoq; phœbe sanguine tota
v. 13. Et cecidêre solum delabsæ ex æthere stellæ,
Sublimi velut hærentes sine robore, ficus
Ipsa suos abijcit grossos, violentia venti
Vi magnâ & fremita validæ si decutit auræ.
v. 14. Cœlum ipsum absceſſit totum per inane libri instar,
Qui convolvitur, & sublimi culmine montes
Ardua jactantes capita inter nubila cœli
Insulæ & horrisoni circumcinctæ æquoris undis
Migravêre locum mutato marmore ponti
v. 15. Et Reges terræ, procerum optimus ordo, beatos
Quosq; opibus fortuna facit, populiq; tribuni,
Et quibus est vitæ atq; necis commissa potestas,
Atq; ministrorum, & famulantum sordida turba,
Libertas quosq; ingenuos facit aurea, petras
Montanas spontè aeq; extisis rupibus antra,
Devenêre citi se inter spelæa ferarum
Abdentes, septi silvarum horrentibus umbris.
v. 16. Ac trepidè petris dixêre, & montibus altis
Desperato animo, vos præcipitate super nos,
Et nos obruite horrisono cum murmure, tuti
A conspectu ejus, Solio residentis, ut esse,
Irarumq; agni securi, aliquando queamus.
v. 17. Illa dies etenim veniet quæ fluctibus iræ
Vndabit magnis, accensisq; æstibus uret:
Quis poterit furias contra hujus stare diei?

CAPUT VII.

ARGVMENTVM.

Grassan-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766842649/phys_0048
DFG

Grassantur heu orbe angeli
Tribubus signantur omnibus,
Passorum ob Christum funera
Describitur felicitas.

v. 1. *Post vidi Aligerûm ex cætu, gente æthere natâ*
Bis binos genios volucres insistere terræ,
Quattuor angellis prostantibus, & cohibere
Bis binas ventorum animas, per inania cœli,
Ne perflent terras, ne pontivé æquora verrant,
Nec rapido arboreos percurrant impete fœtus
v. 2. *Et vidi Aligerum ascendentem solis ab ortu*
Ipsa ſigilla DEI *manibus viventis habentem,*
Alitibus sacris qui magnâ quattuor illis
Voce acclamavit, quibus est permissa potestas
Lædere frugiferam terram, & freta cærula Ponti,
v. 3. *Dicens: ne terram, ne campos æquoris alti,*
Ne arborei generis, per densas lædite silvas
Vllam naturam, posito seu semine surgant,
Sive suâ veniant sponte à radicibus imis.
Vsq; DEI nostri servos in frontibus ipsis
v. 4. *Ritè obsignemus:* ✝ *signatorum atq; virorum*
Certus erat numerus, dictu mirabile, centum
Millia dena quater quatuor, signata fuêre
Omnibus ex tribubus Israëlis semine natis.
v. 5. *Eq; tribu Iudæ fuerant bis sena virorum*
Millia signata, & totidem de stirpe Rubenis,
Atq; pari numero cretorum à sanguine Gadis.
v. 6. *Aseris exq; tribu decies duo mille tenebant*
Signatas frontes, totidem ordine Nephtalidarum

Obſignabantur, totidemq; ex ſtirpe Manaſſis.
v.7. Et duo dena tribu Simeonis millia habebant
Frontibus impreſſum ſignum, de ſtemmate Levi,
Quis totidem numero adjuncti, tum Iſſacharis ortu,
v.8. Obſignata tribu Zabulonis duodena
Millia, Ioſephiq; tribu tot millia, millia
Tum bis ſena tribu Beniaminis orta rapaci.
v.9. Poſt vidi, ecce aderat turba innumerabilis, hujus
Non numerus, neq; enim numero comprendere poſſem,
Quem qui ſcire velit Libyci velit æquoris idem
Diſcere quàm multæ Zephyro turbentur arenæ;
Aut ubi navigijs violentior incidit Eurus,
Noſſe quot Ionij veniant ad littora fluctus.
Omnes heic aderant gentes longo ordine linguis,
Atq; habitu veſtis variæ, populiq; tribusq;
Coràm oculis agni ſtantes ſolium antè ſacratum,
Candentes niveo veſtis velamine, palmas
Tollentes manibus, parti ſimulacra triumfi:
v.10. Sublimem & magnâ pulſantes æthera voce,
Clamabant; ſit fama DEO noſtro una Salutis, "
Qui reſidet ſolio partæ, communis & Agno. "
v.11. Circuituq; Throni ſtabant denſa agmina cœlo
Sacrorum Alituum, & ſeniorum, nec procul ipſa
Abfuerant animalia quattuor, æthereusq;
Procubuit Chorus antè thronum ſine corpore, vultu
Compoſito in terram & fundebat vota Jehovæ.
v.12. Decantans Amen harmonicis concentibus atq;
Clamans: ſit ſemper benedictio, Gloria ſemper "
Sceptra tenenti agno gloria, vita, ſalus. Sit, ſapientia ſit ſemper, quoq; Gratia ſemper "
Sit, ſit ſemper honos conſtans Auguſtaq; ſemper, "
Sit Majeſtas, ſit ſemper durabile robur: "

Sint

Sint hæc cuncta DEO *sacrata in seculà nostro*
Seclorum: omnis Amen quoq; dicat Natio læta.
v. 13. *Tum me compellans ex his senioribus unus*
Ex me quærebat, quæso refer undè domo isti,
Vndè genus? qui sunt induti vestibus albis?
v. 14. *Et respondi illi, non est, quòd quærere tentes,*
O Domine hæc ex me, Tibi nam sunt cognita pridem.
Hinc ait: hi sunt quos ingens afflictio pressit,
Sed non oppressit, tetigit, nec fregit, abinde
Cæperunt vestes proprias mundare lavando &
Agni more nivis cum sanguine reddere puras.
v. 15. *Iccircò antè* DEI *solium versantur, eumq;*
Mente colunt memori, in templo seu phœbus ab ortu
Surgentem ducat currum, seu luna reducat;
In cæli occiduas partes, immergat & umbris,
Quique throno residet gratâ illos proteget umbrâ.
v. 16. *Atq; illis non ulla fames obscæna nocebit,*
Amplius illorum fauces sitis improba nunquam
Exuret, nec sol radiorum verbere adulto
Illos plus feriet, neq; lædet fervidus æstus.
v. 11. *Agnus enim in medio qui solus obambulat orbe*
Orbe throni saturabit eos cœlestibus escis;
Dux ipsis erit atq; viæ, quæ ad vivida Aquarum
Fontibus è liquidis manantia flumina ducit
Et DEUS *illorum ex oculis absterget amaro*
Deciduas fletu lacrumas, atq; ora rigantes.

CATUT VIII.

ARGVMENTVM.

Vota

Vota offeruntur Thurea,
Septem Angeli Tubis canunt,
Jgnis ruit, furit salum,
Amaror undas inficit.

v. 1. POstquam septimi erat clausura remota sigilli,
Continuè in toto sunt facta silentia cœlo,
Quale moræ spacium semi hora inferre videtur.
v. 2. Conspectiq; mihi Angelicis ex cœtibus illi
Antè DEI faciem qui stant splendore potentem
Atq; Tubas gestant septem altisono ære coronas.
v. 3. Tunc alius venit aliger, atq; propè astitit aram,
Thuribulum ex auro factum splendente reportans,
Et data sunt illi suffimina plurima, ut ista,
Addita sanctorum votis, precibusq; profusis
Altari offerret sacro, quàm lamina fulvo
Regalem antè thronum rutilare effecerat auro.
v. 4. Fumus odoratis ascendit ab ignibus autem
Suffimentorum, ad stellantis regia cœli
Tecta, pijs precibus sanctorum operâ alitis almi
Immixtus faciemq; DEI penetravit ad ipsam.
v. 5. Thuribulum accipiens rursum post Angelus illud
Implevit flammâ. accensis ex ignibus aræ
Abjecitq; solo tunc missa tonitrua magno
Et perterricrepo sonitu ecce dedère fragorem
Immensum jactata super patuli æquora mundi.
Horrisonæ & voces sunt audit æundiq;, Nubes
Excussère suo & eoncursu semina multa,
Clari ignis tremulo ac tempestas impete fulsit.
Et tremuit magnis tellus concussa ruinis.

v. 6. Ab-

v.6. Aligeri septem, qui septem cornua habebant
Martia, terribili cæpêre sonare fragore.
Atq; Tubâ cantus acri clangore tremendos
v.7. Reddere. ✝ quam primum cecinit clangore tubæ ales
Luctificæ primus, confestim nubibus ipsis
Decidit horrisono crepitu denso aëre grando, &
Omnia luminibus lustrans loca percitus ignis;
Et tetigere solum permisto sanguine jacta
In terras, arbustorum pars tertia & æstu
Altorum perijt, succis vitalibus orba,
Et viridans gramen campis exaruit omne.
v.8. Angelus alter ubi insonuit clangore sonoræ
Ipse Tubæ; quasi mons flammis crepitantibus ardens
In mare projectus valido impete, mole tremendus,
Factaq; continuò maris est pars tertia sanguis.
v.9. Tertia squamigerûm verò pars ipsa peremta
Concidit exanimis, magnum tranando pererrant
Quæ mare, quæ pinnisq; secant tumidi æquoris undas
Navibus exq; ipsis pars tertia fluctibus acta,
Horrisonis perijt, rabidis submersa procellis.
v.10. Horrendum clanxit tum tertius Angelus, atq;
Astrifero è cælo sublimis decidit ingens
Stella ardens nimium, succensæ lampadis instar,
Delabsa internas fluviûm subito impete partes;
Et liquidos fontes muscoso margine aquarum.
v.11. Hæc absynthij habet sed stella ignobile nomen.
Pars Absynthio enim hoc infecta est tertia aquarum,
Et multos homines tumbæ intulit usus aquarum
Privatos vitâ, illarum quod tamtus amaror.
v.12. Angelus inde Tubæ quartus clangore sonoræ
Intonuit, solis percussaq; tertia pars est,

Tertia pars Lunæ, ſtellarum tertia parsq́,
Sic ut tertia pars obſcuraretur eorum,
Et non luceret pars tertia clara diei
Ac nox perpetuas illunis volveret umbras.
v. 13. *Conſpectusq́ mihi eſt, auditus & Angelus unus,*
Remigio alarum medium volucri æthera tranans,
Immensâ clamans væ, væ, væ, voce, colonis
Terræ! præ ſonitu reliquûm reboante Tubarum
Cælituum genij quis tres ex agmine clangent.

CAPUT IX.

ARGVMENTVM.

Clangentis Angeli ſono
Locuſta prodit effera,
Equeſtris turma & irruit,
Necans humana ſecula.

v. 1. *TVm quintus clanxit Genius, vidiq́ ſupremo*
E cœlo ſtellam in terram cecidiſſe profundam,
Clavis ei data erat putei infernalis Abyſſi.
v. 2. *Et poſtquam Genius puteum apperuiſſet Abyſſi,*
Ex puteo aſcendit piceâ caligine fumus,
Ceu fumus magnæ fornacis, ſolis & ipſum
Lucifluum jubar obductum ferrugine cæcâ,
A fumo putei tenebras incurrit & aër.
v. 3. *Ex fumo verò prorupêre agmina denſa*
In terram locuſtarum, conceſſaq́ vis eſt
Illis more Nepæ metuendæ ictu uſq́ minaci.

v. 4. *Sed*

v. 4. *Sed lex est ipsis data, ne quà gramina terræ*
Aut virides frundes, ramosa aut brachia in hortis
Arborei Generis lædant, sed secula tantùm
Illa hominum, qui non gestarent frontibus altis
v. 5. *Signa impressa* DEI: ✝ *vetitæq; occidere tales;*
Sed tantùm jussæ torquere, quot ipsa Selene
Per quinos menses, nocturnas perficit umbras.
Et cruciatus sit talis, quem scorpius infert
Humanis, illos sævo cùm percutit ictu.
v. 6. *Ergò illis homines quærent sua fata diebus,*
Et non invenient, odiosæ tædia vitæ
Ponere tentantes, sed mors optata recedet.
v. 7. *Sed locustarum facies referebat equorum*
Justè armatorum ad Mavortia prælia formas,
Et super illarum capita impositæ ecce coronæ
Consimiles auro, facies & cognitæ earum,
v. 8. *Vt facies hominum:* ✝ *Oblongosq; habuére capillos*
Fœminei in morem sexus; dentesq; leonum.
v. 9 *Loricas hamis consertas atq; ferebant*
Ferratis similes, strepitum & stridentibus alis
Fecerunt, qualem rapidæ dant usq; quadrigæ,
Alipedum cùm cursu ad bella feruntur equorum.
v. 10. *Agmina præcipiti:* ✝ *caudas similesq; tenebant*
Scorpio, & in caudis lethalia acumina earum
Cuspide curvatâ: fuit illarumq; potestas
Humano generi per menses quinq; nocere.
v. 11. *Illos imperio sed rex frenabat Abyssi*
Angelus Abaddon linguâ qui nomen Hebræâ
Gestat, Apollyon Graiâ sed voce vocatur.
v. 12. *Væ nunc unum abijt, duo væ restare videntur.*
v. 13. *Tum sextus clanxit Genius, de quattuor aræ*

Cornibus auratæ tum vox audita locatæ
v. 14. *Ante* DEI *solinm* ✝ *dicens sexto Angelo habenti*
Æra canora Tubæ: Genios nunc quattuor illos
Exime compedibus, qui vincti ad littora magni
v. 15. *Euphratis superant:* ✝ *manicis sunt ergò soluti*
Ferratis genij quam primum quattuor illi
Quorum animus nimiùm promptus vel quolibet horæ
Momento, vel luce diei, vel mense, vel anno.
Ex genere humano ternas occidere partes,
v. 16. *Militiæ numerus tum quærebatur equestris.*
Bis millies aderant centena en millia eorum,
v. 17. *Auditus mihi erat numerus.* ✝ *tum visio equorum*
Oblata armigerûm, & qui illarum terga premebant
Vidi equites, rutilâ ex flammâ thoracas habentes,
Et flavos hyacinthi instar, tum sulphure fætos,
Et capita addita equis, sicut capita ipsa leonum,
Terribili fuerant specie, & prodibat ab ore
Ipsorum patulo rutilans magno impete flamma,
Tum piceus fumus, tum tetro sulphur odore.
v. 18. *A tribus his hominum perijt pars tertia, strage*
Innumerâ, nempe à flammæ crepitante, fragore,
Ignivago & fumo & maleôlentis sulphuris aurâ,
Prodibant patulo illorum, quæ singula, ab ore.
v. 19. *Vis etenim immanis latet ore recondita eorum,*
Nec minor in caudis, referunt quæ flexibus angues
Incurvis, capita attollentes lædere promta.
v. 20. *Porrò hominum reliqui, quos denso examine plagæ*
Non demiserunt letho, missæ undiq; ab alto
Hi vitæ migrare gradum meliore prioris
Cessabant vitâ, venerantes Dæmonas atros
Inflexis genibus, vanos precibusq; Deastros

Vrgen-

Vrgentes, cultu timido simulacra verentes
Aurea, & argenti micis fabricata polito
Aut ære, aut alto de marmore, robore trunci aut,
Lignosi quibus est non luminis ullius usus,
Nec quisquam sensus resonantium in aëre vocum,
Nec firmare pedum possunt vestigia eundo.
v. 21. *Nec desistebant à fuso sanguine, & atris*
Cædibus, & magicæ verboso murmure linguæ
Præstigijsq; suis nebulosâ fraude peractis:
Nec venerem illicitam, alterius nec gaudia lecti
Vitabant venas inflante libidine turpi:
Nocte sub obscurâ tum furta nefanda patrabant.

CAPUT X.

ARGVMENTVM.

En nube amictus Angelus
Apertum codicem tenens,
Inclamat, atq; Apostolo
Hunc devorandum proijcit.

v. 1. *TVnc alium vidi pollentem robore forti*
Aligerum descendentem de culmine olympi,
Quem densus fulvæ velabat nubis amictus:
Atq; caput supra ejus erat splendore colorum
Insignis vario, curvatus & iridis arcus,
Splendebat facies, radians ceu cynthius æthrâ
Flagrabantq; pedes ceu structæ ex igne columnæ
v. 2. *Illiusq; librum dextrâ tenebat apertum,*

Impoſuitq́ pedem dextrum ſuper æquora Ponti,
At lævum ſuper herbiferæ ampla volumina terræ.
v. 3. *Suſtulit immenſo magnam clamoreq́ vocem*
Ceu leo rugitum horribilem vaſto oris hiatu
Edit magnanimus: Clamore iſtoq́ peracto
Ecce dedere ſuas ſeptena tonitrua voces.
v. 4. *Vtq́ ſuas ſeptem abſolvêre tonitrua voces,*
Mandaturus eram chartis, ſed cœlitus alto
Vox delapſa meas ſubito pervenit ad aures
Dicens obſigna ſeptena tonitrua, quæ nunc
Ore ſuo intonuêre, harum neq́ ſcribito voces!
v. 5. *Aliger & ſtantem quem tum ſuper æquore vidi*
Atq́ ſuper terrâ, ſurrectam ad ſidera palmam
v. 6. *Suſtulit; + & per eum ſanctè juravit, in ævum*
Qui vivendo immortalis perdurat ab omni
Interitu liber, qui cœli condidit aulam
Sublimem ex nihilo, & fulgentes intulit ignes
Aſtrorum, quiq́ immotæ fundamina terræ
Artifici effecit circumfuſo aëre dextrâ,
Frundentes vario & diſcrevit germine flores.
Qui quoq́ rauciſonas maris alti condidit undas,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus;
Non aliud rerum in naturâ profore tempus.
v. 7. *Illa dies verò quâ ſeptimus Angelus acris*
Ore tubæ vaſto clanget myſteria ſummi
Perficiet ſacroſancta DEI, velut antè miniſtris
Præſcius ipſe ſuis prædixerat ore prophetis.
v. 8. *Et vox, quam prius audieram labſam æthere ab alto*
Illa iterum mecum ſic talia verba locuta eſt:
Euge abi, & indè libellum illum celer arripe apertum,
Aligeri quem dextra tenet ſuper æquora ſtantis,
Atq́ immota ſuper viridantis pondera terræ.

v. 9. *Ocyùs*

v. 9. *Ocyùs acceſsi Aligerum, dehinc talia dixi:*
Angele, da mihi, quem fert dextera, quæſo libellum;
Qui tali me mox eſt rurſum voce ſecutus
Accipe devora eum! ingentemq; Tuæ inferet alvo,
Credito, amaritiem, tua viſcera & imbuet atro
Felle, tuum afficiet verò os dulcedine mellis.
v. 10. *Angelicâ è dextrâ mox ſuſceptum ergò libellum*
Glutivi penitus, detruſiq; intima linguæ
Viſcera ope, & dulcedo meo ore natavit ad inſtar
Aërij mellis, ſed ventrem triſtis amaror
Perculit, infecit mea tetroq; exta ſapore.
v. 11. *Tum dixit mihi nunc fas eſt oracula rurſum*
Fundere Te, venturi & præſcia pandere fata,
Eventus præſago animo coram omnibus orbis
Et populis, & gentibus & diſcrimine magno
Inter ſe linguis vocum variantibus, atq;
Regibus, & multis magnis moderantibus oris.

CAPUT XI.

ARGVMENTVM.

Templi imperatur menſio,
Voratq; teſtes beſtia,
Deus quos ad cœtum evocat
Terret tribunal impios.

v. 1. *INdè mihi datus eſt calamus virgam undiq; adæquans,*
Talia dehinc mandata ferens, ſacer aſtititales,
Surge age nunc templum ſummi metire IEHOVÆ,

Atq;

Atq; altare sacrum qui cultu & supplice adorant,
Antè gradus hujus Numen venerabile, flexis
Poplitibus querulâ voce auxiliumq; precantur.
v. 2. Atria at excludas extra sita limina templi
Mensio contingat nulla, illaq;, nam data vanis
Gentibus, hæ sanctam calcabant durius urbem,
Mensibus expletis quadraginta atq; duobus.
v. 3. Testibus atq; meis committere cura duobus
Vna mihi surgit, qui Fatidico ore diebus
Mille ducentis & sexaginta usq; loquentur.
v. 4. Hæ sunt illæ oleæ geminæ, quæ fronde virenti
Se tollunt, teneriq; comis, cultisq; racemis.
Hi sunt candelabra duo coram ore potentis
Endoperatoris, terræ posita instrumenta.
Lucis inextinctæ & stabilis certissima pacis.
v. 5. Et si quis contingere eos, vel lædere tentet
Vllo conatu, flammis spirantibus ignis
Prodit ab ore illorum & cunctos devorat hostes
Nam si quis rabidâ velit illos lædere mente.
Sustineat tales pœnas ex igne necesse est.
v. 6. His etiam binis permissa est una potestas
Claudere cœlorum bipatentes voce fenestras;
Humor ne pluvius concrescat nubibus altis,
Nullus & in terras dimissus decidat imber,
Vaticinâ ventura sonant quot voce diebus.
Hisq; super fluvios concessa licentia, Aquarum
Humorem liquidum in crassum convertere sanguen.
v. 7. Et terræ ex lubitu cunctas infligere plagas.
Postquam oratorum perfuncti munere justo
Sacrorum, ascendens ex imâ Bestia Abysso,
Bella cruenta geret contra illos, vincet & illos

Et vi-

Et victos turpi mactabit, cæde, maláque
v. 8. *Afficiet morte ✝ atq; inhumata cadavera eorum*
Strata vijs urbis magna illius ecce jacebunt
Quam quis correptus divinâ flaminis aurâ
Incestæ Sodomæ jure æquiparaverit ipse,
Sulphureus subitò absumtam, quam sustulit imber:
Ægypto infami aut quondam crudelibus ausis,
In quibus & noster crucis est opprobria terris
Perpessus dominus, pendens trabe pondus ab altâ.
v. 9. *Ex tribubus, populis, & linguis & gentibus horum*
Aspicient homines putrefacta cadavera per tres
Luces, dimidium & lucis: nec corpora humari
More sepulturæ patientur dedita morti.
v. 10. *Quiq; habitant terram, læti de cædibus ipsis*
Gaudia concipient, ingenti & jubila plausu
Attollent hilares, & mutua munera mittent;
Inter sese alijs alij, quod voce prophetæ
Fatidicâ hi cives terræ torsisse ferantur.
v. 11. *Ast ubi tertia lux claro fulgebit olympo,*
Dimidio aucta die, vitalis spiritus auræ
A Iovâ veniens verè ingredietur in illos,
Et stabunt pedibus rectis, horum & metus ingens
Terrifico quatiet trepidantia corda pavore,
Corpora qui vidêre illorum reddita vitæ.
v. 12. *Indè audita illis vox magna ex æthere labsa*
Sublimi, dicens ad eos: Ascendite sursum!
Et vecti niveâ Cæli per inania nube,
Ascendêre, polum supra omnia sidera summum,
Conspexêre illos q; oculis flammantibus hostes.
v. 13. *Horâ illâ & tremuit magnis succussa ruinis*
Pondere terra suo, latè magnoq; repentè

Concussu cecidit decima urbis & impete magno
Pars, & subsedêre suis cum civibus ædes:
Et capita hæc hominum septem mille abstulit ingens
Ex motu terræ valido hæc exorta ruina.
Et reliqui stimulum ingentis tenuere timoris
Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur
In barathrum, rerumq; sequatur prodita summa
Funditus extrema & fiat confusio mundi,
Atq; dedere DEO famam laudemq; perennem.
v. 14. Alterius væ sermo abijt, nunc ocyus Euro;
Væ quoq; tertium adest, veniens pernicibus alis.
v. 15. Septimus ergò tubam clangentem inflaverat ales
Et factæ voces sunt magnæ cœlitum in aulâ,
Dicentes: Vasti sunt omnia subdita mundi
Imperia Imperio Domini nostri unici & ejus
Christo, qui felix ævum regnator in omne.
v. 16. Et tunc presbyteri viginti quattuor illi
Quorum in conspectu sita sunt subsellia Iovæ
Quis residenț, proni prostrato corpore terræ
In facies recidere suas Iovam venerati
Vocibus hymnisonis dicentes: pectore grates
Immensas agimus læto Tibi Magne Jehova.
Rex regum omnipotens dominator & unice mundi
Qui unus es, unus eras semper, ventutus es unus.
Majestas augusta tibi quod reddita rursum,
Quâ olim pollebas multis volventibus annis,
Atq; accepta tibi est immensa potentia sceptri!
v 18. Hinc inflammatæ gentes crudelibus iris,
Quis super incubuit Tua mens commota furore
Terribili meritò præsens & temporis hora,
Quò præfinitum defunctis omnibus æquè

Judici-

Judicium advênit, des vitæ præmia servis
Certa tuis, qui vaticino tua jussa locuti
Sunt animo, & quibus integritas & conscia sanctæ
Vitæ cura fuit, fidei observantia & almæ
Quiq; tuum nomen memores coluêre per ævum,
Tam parvis ac quam magnis discrimine nullo
Ætatis facto & perdas, qui perdere terram
Exemplis pravis conantur & actibus atris.
v. 19. *Ecce DEI templum tunc est summo æthere apertum,*
Ipsius in templo hoc quoq; visa est fœderis arca,
Fœderis arca novi, confestim & semina nubes
Excussére suo concursu multa micantis
Ignis & accenso salientes lumine flammas,
Auditi & montes mugitus edere magnos
Et perterricrepo summissa tonitrua bombo,
Insoliti motus & per loca subcava terræ
Facti, Grandinis & sonitu crepitante ruinâ.

CAPUT XII.

ARGVMENTVM.

Partus videtur fœminæ,
Draco nocensq; fœtui
Victus prosternitur: piis
Eò acrius dehinc imminet.

v. 1. *CONspectum in superâ magnum autem apparuit aulâ*
Signum, Fœmina, quæ solis circumdata amictu
Aurato, cujus pedibus subjecta bicornis
Cynthia, sed velata caput fulgente coronâ

Quam certo duodenæ ambibant ordine stellæ.
v. 2. Atq; ferens utero, maturum pondere fœtum,
Ponere conatu magno & confecta dolore
Certabat partus, vitales edere in auras.
v. 3. Prodigium q; aliud cœlo se ostendit ab alto.
Namq; Draconis erat facies, metuenda minaci
Victu atq; immanis vastâ mole atq; colorem
Rufi, intermixtâ quadam flavedine, habentis
Septeno numero capita, unâ & cornua dena,
Ad numerum & capitum diademata regia septem:
v. 4. Cujus tres partes stellarum caudatrahebat
Ætheris astriferi, quas terram abiecit in imam.
At stetit ille Draco præsens coram pariturâ,
Solicitis oculis observans tempora partus
Instantis, quo cum fœtum feliciter alvo
De sexu meliore exclusum lucis in auras
Protulerit, confestim absumeret oris hiatu
Immani patuli, & sub cæcâ conderet alvo.
v. 5. Edita fœmineo partu autem mascula proles
Quæ virgâ ipsa reget ferratâ gentica secla:
Ad q; Deum, ad q; Dei solium est hæc rapta subindè
v. 6. Fœmina sed fugitiva citò in loca sola recepit
Sese, ubi ei tutus, Iovâ abscondente, receptus:
Quô victum facilem sortiri possit abundè
Vsq; dies decies senos & mille ducentos
Conficeret rapidis lumen solare quadrigis
v. 7. Et subitò in cœlis exortum est grande duellum,
Militiæ præses densâ stipante catervâ
Aligerûm Michaël pugnabat robore magno
Contra infernalis feralia tela Draconis;
Atq; resistebant Draco & illius agmina, diro

Miscen-

Miscentes ferri mavortia prælia nisu.
v. 8. Sed non prævaluêre, manu fortiq; repulsi
Succubuére, autor belli adjunctæq; cohortes:
Et nusquam, inventus locus est summo æthere eorum.
v. 9. Projectusq; draco est immani corpore, serpens
Ille vetus, cui dat viros a calumnia nomen,
Et Satanas, totum qui erroribus imbuit orbem,
Terrarum vanis, sophiâ & seducit inani,
Ille ergò projectus humum, valido impete labsus,
Aligeros comites etiam infelicis habebat.
v. 10. Et vocem audivi magnam per mœnia mundi
Dicentem: veræ nunc res est facta salutis
Et vis invicta, & firmi constantia regni,
Sacra DEO nostro, & Christi infinita potestas
Illius: Angelico quia nunc dejectus olympo
Fratrum accusator nostrorum, detulit illos
Qui ore reos audax rigida ad subsellia Iovæ,
Seu sol luce umbras, seu nox lucem inficit umbris.
v. 11. Sed vicêre illum fusi vi sanguinis Agni
Atq; armis verbi, quo testificatio verax
Perstitit, haut usquam metuentes funera lethi,
Prodiga gens animæ, per vulnera ponere vitam.
v. 12. Ergò hilares estote poli & qui habitatis in illis;
Væ verò hospitibus terræ, maris atq; profundi
Indigenis; etenim stygiarum rector aquarum,
Ad vos descendit furijs incensus & iris
Efferus, exiguum gnarus se tempus habere.
v 13. Cùm draco vidisset, se dejectum æquora versus
Terrarum, ægro animo indignans graviterq; ferebat,
Indè puerperio lætam pessumdare matrem
Cessabat nunquam, quâ prodita mascula proles.

v. 14. *Fœmina ſed geminas humeris ſuſpenderat alas*
Inſtar magnæ Aquilæ divino munere ut iſtis
Vecta volet longè in loca ſola atq; invia ſolis
Luciferis radijs, ſignatam à Numine ſedem
Hoſpitij victu quo ſuſtentanda tenaci,
Per tempus, per tempora, tum per temporis orbem
Dimidij aſpectum fugiat ſerpentis & atri.
v. 15. *Ore ſuo ſerpens jaculatus at agmina aquarum*
Gurgite prærupto, ceu fluminis aggere rupto
Vnda ruit, liquido contingens terga ferè uda
Matronæ obruerent ut eam iſtis fluctibus undæ
v. 16. *Et planè abriperent: ✝ fugienti at protinus alma*
Venit in auxilium tellus, atq; oris hiatu
Apperti abſorbſit magnâ vi flumen aquarum,
Quod Draco ab ore ſuo inſanus projecit in ipſam.
v. 17. *Felle draco hinc tumidus vaſtas exarſit in iras*
Fœmineam adverſus ſpeciem indignatus, abitq;
Vt cum relliquijs ex ejus ſemine bellum
Exitiale gerat, quæ juſſa DEI omnia ſervant,
Incorrupta animo & qui Chriſto teſte probati
JESU, devicto referunt ex hoſte triumfum
v. 18. *Optatum ✝ ſtetit atq; ſuper maris humidam arenam.*

CAPUT XIII.

ARGVMENTVM.

Heic beſtia illa multiceps
Partem, una quæ orbis, maximam
In hæreſes ruens rapit,
Quam beſtia altera erigit.

v. 1. *Beſtia*

v. 1. BEstia tunc conspecta mihi est ex æquore Ponti
Scandere fluctivomi, cui tum septemplice plexu
Tractus erat capitum, atq; decem addita cornua fronte,
Cornibus imposita indè decem diademata habebat.
Et cunctis capitum inscriptum blasphemia Nomen
v. 2. Atq; hæc bestia erat, quam vidi, corpore Pardo
Consimilis celeri & maculoso tegmine pellis,
Vnguibus armatosq; pedes velut ursus habebat.
Informis, rictum & nudatis dentibus oris,
Ceu leo terrificas quatiens capite undiq; cristas.
Et draco ei dederat summos virtutis honores,
Et solij decus immensum, magnamq; potestam.
v. 3. Et vidi caput, ex numero capitum ocyus unum
Vulnere lethali quasi læsum, sed quoq; plaga hæc
Lethalis rursum pulcrè sanata coïvit.
Obstupuitq; omnis (visu admirabile) terra,
Spontè suâ, imperiumq; secuta est bestiæ iniquum
v. 4. Hinc & adorarunt devotâ mente Draconem,
Cujus ope accepit tum firmas bestia vires,
Atq; potestatem immensam, tum supplice cultu
Incurvare genu cœpêre ad Bestiæ amorem,
Dicentes: Ecquis sit majestatis honore,
Augustæ summo par isti bestiæ? & ausit
Quisvé hominum contrà hanc pugnæ discrimen adire?
Hanc latere ex uno munit reverentia cultus "
Sanctè concepti, ex alio suprema potestas "
Imperij & metus haut ullis superabilis armis. "
v. 5. Ore loquebatur sed blasphemo impia verba,
Verba DEI sanctis prorsus contraria jussis.
Et concessa illi est faciendi bella facultas
Aspera, per menses quadragenosq; duosq;.

v. 6. Ergò

v. 6. *Ergò blasphemi distendens oris hiatum*
Adversus Iovam plenâ convitia linguâ
Evomuit, nomenq; sacrum petulantibus ausis
Distulit, æthereasq; domos, illosq; procaci
Voce lacessivit, quorum est habitatio cœlis.
v. 7. *Sed quoq; permissum est illi concurrere ferro*
Cum sanctis, & eos felici vincere dextrâ,
Evictos pariter validâ prosternere clade,
Atq; tribum super omnem illi est indulta potestas,
Atq; super varias linguas & secula gentium:
v. 8. *Corpore adorabunt prostrato hinc quotquot in orbe hoc*
Terram habitant illam, quorum sunt nomina vitæ
Non inscripta libro mactati jugiter agni,
Antè mare & terras, & quod tegit omnia cœlum.
v. 9. *Aures si quis habet purgatas audiat ille.*
v. 10. *Obsepit si quis latebrosi carceris antro:*
Carceris ille etiam fœtore replebitur atro
In laqueos recidens, ferro immanesq; catenas.
Si quis sanguine lethiferum tepefecerit ensem
Recludens cordis thalamos animæq; latebras:
Ille etiam vitam crudeli finiet ense,
Heic est sanctorum tolerantia vera, fidesq;
v. 11. *Bestia præterea est mihi tunc conspecta bicornis,*
Agni cornua habens duo, sævi at verba draconis
E magnâ matre ætherias emergere ad auras.
v. 12. *Bestiæ at illa potestatem exercere prioris*
Incipit antè ejus conspectum, ac efficit æquè
Omnis ut heic terra, & terræ omnis ut incola adoret
Supplicibus votis primæ vestigia Bestiæ.
Ima pedum, cujus plagæ est obducta cicatrix
Lethali & coijt plenè insanabile vulnus.

v. 13. *Edit*

v. 13. *Edit & ingenti signa admiranda stupore*
Carminibus magicis, quin efficit æthere ab alto
In conspectu hominum, disruptis nubibus ignis
Flammicomo crepitu & fœtenti sulphuris aurâ
Decidat in terram claram fervore coruſco.
v. 14. *Atq; super terris habitantes imbuit atris*
Errorum nebulis, & relligionis inanis
Pigmentis, propter magnâ vi prodita signa
Bestiæ inantè oculos, verbis mandatq; severis
Terricolæ ut faciant simulacrum sculptile bestiæ,
Quæ gladio exanimata quidem, sed sana revixit!
v. 15. *Atq; animata fuit simulacro bestiæ imago*
Sculptilis acceptis vitalis follibus auræ
Edidit & vivam fallaci ex ore loquelam
Voce jubens magnâ demittere corpora letho
Protinus illorum palmas, qui supplice cultu
Bestiæ ad informis simulacrum attollere nolint
Antè illudq; preces effundere pectore ab imo.
v. 16. *Insuper efficit ut cunctis, seu corpore parvi,*
Seu magni immani, videantur, sive beati
Innumeris opibus miseri seu rebus, egenis,
Vel libertatis gaudentes munere lætæ,
Mancupio nexi vel vilia nomina servi,
Emineat dextrâ impressus seu fronte character.
v. 17. *Et ne quis posset vænum proponere merces*
Vel justo pretio mercari ni ille character
Sese ostentet in hoc aut nomen bestiæ inanis
Nominis, aut numerus præsens appareat ejus
v. 18. *Huic autem vero sapientia panditur ore,*
Cui cordis mens sancta sinus animare videtur
Lumine prudentis rationis computet, ille

Hunc numerum secum, quem censet bestia justum,
Iste hominem numerus nam plenius occupat omnem,
Exploratu difficilis, nec cognitus ulli.
666. *Est autem numerus senarius ipse per omnes,*
Et monadas decadasq́, hecatontadas atq́ recurrens.

CAPUT XIV.

ARGVMENTVM.

Agnus Sionis in jugo
Stat, pacem præco nuntiat.
Babylon ruit: beata mors!
Falx messis & vindemiæ.

v. 1. *TVnc vidi ecce aderat juga stans super alta Sionis*
AGNUS sacrati gelidam quâ respicit Arcton,
Et centum quadraginta unâ quattuor atq́
Millia claudebant latus Agni, Nobile nomen,
Frontibus inscriptum quæ summâ fronte tenebant.
v. 2. *Et vocem ex cœlo venientem his auribus hausi,*
Ceu strepitum undarum de celso monte ruentûm,
Impete præcipiti, aut per caulas ætheris omnes
Delati horrisono tonitrus sonitum usq́ fragore,
Et vocem citharædûm suaviter acri
Pollice verrantum chordas, digitisq́ subindè
Pulsantum flexis citharæ cava texta sonoræ.
v. 3. *Hi novâ & antè thronum quasi cantica voce canebant*
Assâ, concentu mulcentes aëra suavi:
Astiterant juxta hos animalia quattuor illa,
Presbyteriq́ illi, neq́ quisquam cantica nosse

Harmo-

Harmonicis confícta modis, vel díscere ritè
Tum poterat níſi quadraginta quattuor illâ
Millia tum centum, quæ ſunt magno emta valore
E terræ gremio lutulentâ ſorde repleto.
v. 4. *Hi ſunt, qui nunquam ſexu cum fœmineo ullum*
Venére in cœtum, aut Veneris ſunt caſtra ſecuti
Turpia, mixturam facientes fœdam animarum,
Corpora corporibus jungentes mutua nexu
Laſcivo, caſtæ nam virginitatis amore.
Hi præſtant: agni ductum unum jure ſequentes
Obſequij, quocunq; ſuos fert corpore greſſus.
Et ſunt humanorum ex omni claſſe redemti
Primitiæ Iovæ altitonanti agnoq; ſacratæ
v. 5. *Nec fraus illorum dolus aut inventus in ore*
Subdola vel ſimulatricis fallacia linguæ
Antè thronum ſunt puri inculpatiq; JEHOVÆ.
v. 6. *Vidi alium aligerum hinc medium per inane volantem*
Æthræ, Evangelium ſecum inviolabile habentem,
Nunciet ut quà terrarum eſt habitabilis orbis,
Genti omni & tribui & linguæ, populoq; ſonorâ
Clamantem voce: Eja Deum trepidante timete
Pectore, & attoniti manſurum gloriæ honorem
Immortalis ei deferte & munera laudum.
Judicij cita namq; ejus nunc imminet hora.
Et genua incurvate illi, ac ſolennia ſacra
Solvite adorantes votorum mente piorum
Gratâ, qui omnipotente manu cœleſtia templa
Sidereis ornata oculis, facibusq; coruſcis
Condidit, & roſeum ſolis jubar atq; Selenen,
Vmbriferæ noctis rectricem, & pervia velis
Æquora collecto campos & gurgite aquarum,

Et liquidos fontes undis, fluviosq; rapaces,
Et ſtabilem nullo nixam fulcimine terram.
v. 8. *Aligerumq; alius de ſanctâ claſſe ſecutus*
„ *Angelus, & grandi voces has intonat ore:*
„ *Nunc cecidit Babylon faſtu olim elata ſuperbo;*
„ *Vrbs cecidit nunc illa ingens, quæ vina propinans*
„ *Mixta ira infreni illicitæ veneriſq; furore,*
„ *Gentibus ipſa dedit potanda hæc omnibus orbis.*
v. 9. *Atq; ſecutus eos paulò poſt tertius ales,*
Exclamans voce ingenti, qui corpore flexo
Pronus adoravit faciem hujus beſtiæ iniquam,
Aut colet illius effigiem aut acceperit ipſa
v. 10. *Fronte characterem, vel dextrâ. Hic combibet ipſe*
Ex vino, infecit quod fervens ira Iehovæ,
Atq; mero infuſo in ſpumantia pocula, bile,
Omnicremoq; vigil nimiùm torquebitur igne,
Horriferâq; etiam fætentis ſulphuris aurâ;
Antè ora Aligerûm ſanctorum Agni inq; nocentis:
v. 11. *Tormenti & fumus ſeclorum in ſecula eorum*
Aſcendet piceâ denſus caligine, habebunt
Nec certam requiem, ſeu luce dieſpiter orbem
Luſtret, nocturnis ſeu velet cynthia bigis,
Indomitæ tumidum qui nomen beſtiæ adorant
Illius aut ſervant factâ ſub imagine cultum,
Sive characterem ſibi ſumunt nominis ejus.
v. 12. *Eſt heic ſanctorum conſtans tolerantia, firmâ*
Spe ſua damna levans; heic ſunt præcepta IEHOVÆ,
Qui memori obſervant animo, retinentq; fideles,
Sinceramq; fidem faciles profitentur IESU.
v. 13. *Tunc vocem audivi, labentem ex æthere ſumme*
„ *Dicentem mihi ſcribe! ô Terq; quaterq; beati*

Tempore

Tempore ab hoc Domini subeunt, qui funera causâ "
Vitam exhalantes fragilem florentibus annis. "
Certè flatus ait sacer: ut requiescere possint "
Tutius ex obitâ variorum mole laborum "
Illorumq; sequentur eos opera ardua factis. "
v. 14. Et vidi: ecce aderat nivis instar candida nubes;
Atq; super nubem quidam residebat amœnâ
Nato hominis simili specie voce atq; colore,
Impositam capiti gestans ex ære coronam
Fulvo auri rutili, falcemq; in dexterâ acutam.
v. 15. Atq; alius sacer è templo mox prodijt ales,
Inclamans illum, quem nubes alba sedentem
Excipiebat voce ingenti: nunc age falcem
Mitte tuam, & mete nam nunc temporis hora metendi
Instat, maturis & dives messis aristis.
v. 16. Nube sedens igitur falcem terræ addidit arvis
Immissâ seges & terræ omnis falce resectâ
v. 17. Corruit: + atq; alius Templo est egressus olympi
Angelus ipse tenens quoq; dexterâ acutam.
v. 18. Quem sectatus erat nitidâ qui exibat ab ara
Angelus huic mandata ignis custodia sacri;
Et magnâ inclamabat eum tum voce tenentem
Mucronem falcis: jam jam submittere acutam
Incipe tu falcem vinetiq; abripe botros.
Nam maturæ sunt tumidis in vitibus uvæ.
v. 19. Angelus ergò suam in terram demisit acutam
Falcem, vitiferas terræ frugesq; putavit,
In magnumq; lacum & fœtum feralibus iris
20. Numinis æterni projecit + & est lacus extra
Urbis mœnia calcatus quo sanguinis amnis
Exijt obscœni, & frænos superavit equorum.

Aggesto cumulo refluentis in arva cruoris
Mille & sexcentis stadijs miserabile visu!

CAPUT XV.

ARGVMENTVM.

Septem videntur Angeli
Plagas habentes ultimas,
Victores bestiæ DEUM
Laudant, furoris pocula.

v. 1. INterea in cœlo magnum & mirabile signum
Vidi aliud, septem Genios, & quilibet horum
De septem extremis plagis plagam usq; tenebat,
In quibus indignati expleta est ira JEHOVÆ.
v. 2. Et vidi tanquam vitreum, mixtum ignibus, æquor,
Atq; illos qui victores retulêre triumfum
Bestiâ ab victâ, atq; à bestiæ imagine sculptâ
Atq; charactere, ex numero quoq; nominis ejus
Stantes ad vitrei lucentia marmora ponti,
Atq; DEI citharas resonantes dulcè tenentes.
v. 3. Qui quoq; cantabant Mosis vasto ore ministri,
Illius, æterno qui perdomat omnia sceptro;
Cantica, consimili ratione mele aurea vocis
Agni dicentes: magna & pleni ipsa stuporis
Admiranda tuæ quoq; sunt opera omnia dextræ.
O Deus omnipotens, vasti summe arbiter orbis,
Quàm sunt justa tuæ & vestigia vera viaï.
v. 4. Rex sanctorum etiam! quis non te mente timeret
Solicitâ, trepidoq; metu? tum Nominis almi

Augu-

Augustam Majestatem non glorificaret?
Solus enim tu sanctus es, es tu sanctus & unus
Atq; omnes venient è cunctis partibus orbis
Diffusæ gentes, in conspectuq; tuo, ore
Te venerabuntur placido, & solennia honorum
Supplice adorantes cultu, imo ex pectore solvent.
Justitiæ manifesta tuæ: Nam singula cunctis
Jura patent, nulliq; incognita sanctio legum.
v. 5. Post hæc aspexi, & templi ecce est janua aperta,
Templi illius, quod faciebat in æthere summo
Scena fidem faciens testataq; tempus in omne
v. 6. E temploq; illo, genij septem ordine justo
Progressi septem quibus est infligere plagas
Cura data, induti nitido velamine lini
Mundi & splendentis, præcincti & pectora Zonis
Ex auro puro fabrefactis arte politâ.
v. 7. Quattuor ex illis dedit atq; animalibus unum
His septem genijs pateras splendore coruscas
Auri fulgentis, summoq; furore repletas
Iræ divinæ, atq; DEI viventis in ævum.
v. 8. Et templum implevit fumus summi ortus ab ipsâ
Majestate DEI, & virtutis robore fortè
Excelsæ, & nemo poterat sancti atria templi
Endogredi, à Genijs donec septena peracta
Plagarum tormenta essent, ita fante Jehovâ!

CAPUT XVI.

ARGVMENTVM.

Furore dio pocula
Repleta fundunt Angeli,

Terre-

Terretur hinc orbis novis Plagis, & urbis incolæ.

v. 1. *TVnc audita mihi vox magna è limine templi*
Dicens septem illis Genijs ite atq; furoris
Divini pateras in terram effundite & iræ:
v. 2. *Ergo abijt primus genius pateramq; furoris*
In terram effudit subito & miserabile visu
Corpus ab ulceribus, quasi inustis, omne rubebat,
Vlceribus tetris, languens & morte propinquâ
Illorum signaturam qui bestiæ habebant,
Et venerabantur proni ejus imaginis oras.
v. 3. *Alter ut effudit Genius super æquora Ponti*
Contentam pateram, & confestim obducta cruore
Illa fuére putri, qualem ipsa cadavera fundunt,
Et quodcunq; animans vivebat in æquore salso
Funere mersum animam ponebat protinus ægram.
v. 4. *Tertius indè suam pateram irriguos super amnes*
Effudit genius, liquidarum & flumina aquarum.
Ac gelidos fontes per florea prata crepantes
Factaq; purpureus sanguis purissima lympha.
v. 5. *Audivi & voces Genij dicentis, aquarum:*
Justus es, ô Domine, ô qui semper es unus & idem,
Et qui semper eras, & eris qui semper, eodem
Judicio stabilis, duras justæ arbiter urnæ.
v. 6. *Sanctorum quoniam prius effudêre cruorem*
Purpureum, in quos vis grassantes cædibus atris.
Atq; prophetarum: rursum illis lege dedisti
Æquâ purpureos latices, & sanguinis undas
Potandas rutili: nam sic meruére profani.
v. 7. *Atq; alium audivi ex Adyti penetralibus ipsis*

Sacrati,

Sacrati, Genium dicentem: Eja Endoperator,
Summe DEUS, *cujus metam omnipotentia neſcit*
Finitam infinita, heu quanta eſt regula veri!
Judicijs q; tuis qualis juſti ardor inhæret!
v. 8. *Effudit genius pateram poſt quartus in orbem*
Solarem atq; datum eſt illi æſtu affligere magno
v. 9. *Ignis ope humanos incenſi: † humana q; ſecla*
Flagrarunt æſtu magno ardentiq; rubore,
Qualis graſſatur calidis fornacibus ignis
Suppoſita in ligna, hæcq; ardore abſumit edaci:
Atq; DEI nomen blaſphemæ verbere linguæ
Pulſarunt, ſuper has plagas quod ſolus haberet
Imperium, verſis animis neq; gloriæ honorem
Illi promeritæ voluerunt reddere dignum
v. 10. *Tum genius quintus portatam effundere cœpit*
In dextrâ pateram, ſolium ſuper omne ſedentis
Beſtiæ, & incurrit denſæ caliginis umbras,
Illius regnum tenebris horrentibus atras.
Mandebantq; ſuas linguas ſtimulante dolore,
v. 11. *Et blaſphemârunt cœli terræq; potentem*
Ulceribus tetris fracti nimioq; dolore,
Intolerabilibusq; malis erat anxius angor
Aſſiduè comes & gemitu commixta querela
Perturbata animi mens in mœrore metuq;
Triſte ſupercilium, furioſus vultus & acer,
Prima mali tamen haut vitarunt ſemina culpas.
v. 12. *Tum Genius ſextus tumidas Euphratis in undas*
Effudit pateram flumen, quod fonte ab eodem
Se ſolvit, cum Tigride, latum & Perſidis æquor
Influit, Euphrates ſiccasq; oſtendit arenas.
Exhauſtis abſorptus aquis, non ulla remanſit

Humoris liquidi facies, & pervia plaustris,
Quæ solita est ferre unda rates, tunc visa repente
Ac via strata fuit phœbi surgentis ab ortu
Regibus, apta rotis & semita justa quadrigis.
v. 13. *Et vidi immani stridentis ab ore Draconis*
Illius, Et vidi patulo oris belluæ hiatu,
Atq; ore ex ipso quoq; vano Pseudoprophetæ
Ocyus exire impuro tria flamina vultu
Obstreperis limoso in stagno æqualia ranis.
v. 14. *Flamina sunt etenim, stygijs ex faucibus orci*
Abrepti, & furijs Erebi, signa usq; stupenda
Patrantes, celeri pede magnifica atria regum
Pulsantes terræ & mundi totius, ut illos
Extremæ adducant ad prælia magna diei
Collectos, quam vox indixit cunctipotentis.
v. 15. *Improvisus ego venio, ut fur nocte silente,*
Ille quidem felix, cui sunt expertia somni
Lumina, quiq; sui servat velamina amictus,
Ambulet investis ne nudo corpore, suadet
Quæ cælare pudor, pateant ejusq; pudenda.
v. 16. *Et concluſit eos omnes denso agmine, quadam*
Parte loci, linguâ hunc quis nominitaret Hebræâ
Armageddontem lugubri clade Iosiæ
Regis defletum celsi super ardua montis.
v. 17. *Effudit Genius pateram tum septimus, aulam*
Aëris in liquidam atq; è templo prodijt ingens
v. 18. *Vox cæli à solio dicens: Fuit ✝ inde fragores*
Bombisonæ & voces rapidisq; micantia flammis
Fulgura per totum & currentia murmura cælum
Horrifico sonitu, atq; ingentibus incita tellus
Motibus intremuit, sævo quassataq; hiatu
Fundamenta fuêre soli, pressæq; ruinis

Subsedére

Subsedére urbes, nec quisquam temporis ullo
Viventum meminit spatio tot motibus ipsam
Concussam validis terram intremuisse profundam
Qua qua etenim fuerat tellus pandebat hiatum.
v. 19. *In tres illa fuit magna urbs quoq; dicta partes,*
Et cecidére urbes per gentica secla caduca
Ac Babylon magna illa DEI *vivescere cœpit*
Antè oculos iterum memori sub mente furore ut
Illi craterem impletum præberet & irâ.
v. 20. *Insula & omnis abit fugitiva procacibus undis*
Nullius q; magis sunt visa cacumina montis
v. 21. *Atq; ingens grando summo aëre labsa Talenti*
Pondere, & immenso crepitu descendit in ipsos
Humanos; hominesq; Deum dehinc ore protervo
Blasphemarunt hanc ob plagam grandinis ipsam
Vegrandem insolitæ, plaga ærumnabilis hæc est!

CAPUT XVII.

ARGVMENTVM.

Meretrix magna illa pingitur,
Quæ regibus se subdidit
Cruore sanctorum ebria,
AGNI inclyta & victoria.

v. 1. *EX septem Genijs me tunc accesserat unus,*
Quis septem in manibus patera, mecumq; locutus
Dixerat: Heus age jam sis mecum; ostendere promta est
Mens tibi, judicij normam quâ tradita pœnis

Obscœnæ famæ meretrix magna illa, pudore
Abjecto effrenis residens super agmina aquarum.
v. 2. Cum quâ miscuerant terræ sua corpora Reges
Nexibus illicitis, cujus vino ebria facta
Lascivæ Veneris, sub vasti fornice mundi
Impuri toto quotquot versantur in orbe.
v. 3. Atq; in desertum, cùm me vi flaminis ipse
Asportasset tunc mulier mihi visa, vehebat
Bestia coccineo quam prorsus tincta colore.
Nominibus blasphemiæ insignita furentis
Cervices capitum septem, quæ corpore vasto
Ostendebat & his plenè addita cornua dena.
v. 4. Hæc autem mulier tum purpurâ amicta rubebat
Quàm cocco, & fulvum ostentabat vestibus aurum,
Aurea, tum vario gemmas splendore coruscas:
Margaritas etiam nitidas aspergine Eoï
Littoris, atq; suâ gestans pocla aurea dextrâ
Execrandorum scelerum spumantia fœce,
Illecebris veneris plenè & turgentia spurcæ.
v. 5. Inscribtumq; suâ nomen quoq; fronte tenebat
Fallens sub ficto titulo pietatis avitæ
Et Mysterion, Hæc Babylon magna, unica Mater
Impurorum operum, & vitiorum sedula nutrix
Impia, quæ patrant hominem ausu secla nefando.
v. 6. Illa mihi & mulier conspecta est sanguine fuso
Ebria sanctorum, tum sanguine Martyrum IESU
Conspiciensq;, quod hæc sanctorum ita tincta cruore,
Obstupui, steteruntq; comæ, vox faucibus hæsit.
v. 7. Tunc dixit genius mihi cur ita quæso stupescis?
Nunc ego voce tibi plena hæc mysteria pandam,
Primò quæ mulier sit, quæ quoq; bestia portans

Illam,

Illam, cui septem capita & cui cornua dena.
v. 8. *Bestia quam modo vidisti fuit! amplius haut est*
Talis, & ex imæ Barathro conscendet abyssi
Funditus exitium celeri subitura ruinâ,
Terricolæ & mirabuntur, sunt nomina quorum
Non inscripta libro vitæ, cùm jacta fuissent
Fundamenta soli & genitalia semina mundi
Condita, cernentes cervices bestiæ inanis,
Quæ fuit & non est, quæ non est & tamen est nunc.
v. 9. *Heîc mens esto quam sapientia Dædala munit.*
Septem cervices capitum, septem ordine montes
Sunt, quos Roma sibi muro circumdedit uno,
In quibus imperij firmavit fœmina sedem.
v. 10. *Et sunt septeni Reges, ex his cecidêre*
Quinq; atq; est unus: nondum successor & alter
Qui cùm venerit exigui spatio iste manebit
v. 11. *Temporis ex fato, ✠ sed bestia, quæ fuit, & non*
Est, octavus erit septenisq; unus ab illis
Exitium tum se citò præcipitabit in imum.
v. 12. *Dena tibi quæ sunt conspecta at cornua, Reges*
Ecce decem sunt, qui regnorum insignia nondum
Accepére sed his quasi quædam regia ad horam
Summa brevem majestatis cum bestiâ adacta.
v. 13. *Vnanimes inter se mentem hi semper eandem*
Conservant, prono obsequio tum bestiam adorant,
Illius à nutu pendentes omnibus horis,
Atq; suas illi tradentes pectore toto
Vires, attribuunt supremi insignia honoris.
v. 14. *Contrà agnum hi tollent validas in prælia dextras*
Sed se submittent agno victricibus armis,
Dextræ exultanti, quoniam dominantium in orbe

Est dominus, tum Rex regum, stipatus eorum
Agmine, qui sunt acciti, electi, atq; fideles.
v. 15. *Hinc mihi dixit: Aquæ, quas jam lato amne fluentes*
Vidisti, dorsum quibus hæc meretricis inhæret,
Sunt populi & turbæ & gentes linguæq; sonantes.
v. 16. *Atq; in fronte decem quæ cornua bestia habebat*
Infestis odijs meretricem protinus isti
Aggredientur, & hanc spoliabunt veste decôris
Antiqui, exutam prorsum regalis amictus
Ornatu nudam reddent, carnesq; tenellas
Ejus edent, illam flammisq; voracibus urent.
v. 17. *Nam Deus omnipotens illorum cordibus ipse*
Indidit, efficiant ut promto pectore menti
Quod fuit ipsius visum, antè, quod unanimesq;
Consprirent regnumq; suum dent bestiæ iniquæ:
Donec verba DEI *obtineant certam omnia metam.*
v. 18. *Et mulier, quam oculis usurpasti, illa subactis*
Regibus est magna urbs, quæ leges ponere toto
In mundo suevit tot jam volventibus annis,
Et mare cum terris omni ditione fatigat.

CAPUT XVIII.

ARGVMENTVM.

Babylonis instat ultimum
Fatum: omnis mœret venditor,
Lætantur at omnes pij
Tam justa quod DEI ultio.

Et post

v. 1. ET posthac vidi descendentem æthere summo
Angelicum juvenem, fulgenti luce nitentem "
Immensæ majestatis, telluris opaca "
Et solidæ facies cæpit rutilare nitore, "
Luminis ætherei, tantâ face splenduit ejus "
v. 2. Gloria + Et attollens claram magno impete vocem
Clamavit: Cecidit, cecidit protracta ruinâ "
Ingenti Babylon magna illa, & Dæmoniorum "
Hospitium facta est, facta est custodia & omnis "
Pneumatis impuri, facta est & carceris antrum "
Omnis spurcitie immunda, exosæ ecce vulûcris.
v. 3. Ex vino veneris fervente libidine pleto
Illius gentes haustum omnes namq; bibêre,
Et Reges terræ in veneris commercia tetræ
Prolabsi, miscere illi cœpêre subindè
Se, mercatores atq; emergente lucello
Terræ ex delitijs ejus luxuq; superbo
Ditati magnis opibus fulviq; metalli
Immenso cumulo & gazis regalibus aucti
v. 4. Atq; aliam audivi vocem de limine cœli
Dicentem: Mea gens mox exite ocyùs illâ
Mox exite gradu celeri! ne crimina culpæ
Ejus commissæ scelerum in commercia vos nunc
Proripiant, & flagitijs quoq; debita pœna
Patratis vos involvat plagisq; cruentet.
v. 5. Congeries scelerum namq; ejus pertigit usq;
In summos cœlos, memoriq; hæc mente JEHOVA
Versavit justis tanquam contraria factis.
v. 6. Reddite ei sicut vobis & reddidit ipsa,
Et duplicate illi duplum juxta omnia facta,
Illius, atq; propinate huic carchesia duplo

Majora,

Majora, ac vobis quibus hauſtum præbibit, illa.
v. 7. Attribuit quantum ſibi famæ & gloriæ inanis
Luxurie tumefacta ſuâ, illi reddite tantum
Tormenti & luctus! tacito hæc nam corde volutat.
Secum: Nunc ſedeo ſolio Regina ſuperbo
Innumeris moderans populis & gentibus orbis,
Dimidiâ thalami nec vivo parte peremtâ
Jam viduata viro, mea nunquam gaudia lecti
Turbabit luctus triſti comitante pavore.
v. 8. Idcircò una dies plagas unâ advehet ejus
Terribilem mortem, & luctus ſuſpiria acerbi
Exſuccamq́ famem, flammisq́ minacibus uſta
Concidet in cineres: domini nam dextra JEHOVÆ,
Omnipotens, pœnis damnantis talibus illam.
v. 9. Tum leſſum facient reges magno agmine terræ
Illi, ac ingenti ſua tundent pectora planctu.
Qui congreſſi illi cæcis paphiæ ignibus uſti
Luxuriante animo, cum cernent ſurgere in altum
Ejus ab uſtrinâ fumum, & volitare favillas.
v. 10. Eminus aſtantes timefacti, pondere tanto
Tormenti ipſius, lacrumosâ voce ſonantes
Vah, vah, magna illa urbs Babylon, urbs robore pollens
Forti! qui factum quod in unâ advenerit horâ
Judicij ipſe tui cenſus rigidiſſimus urnâ?
v. 11. Sed mercatores quoq; terræ fletibus ora
Humectabunt uberibus ſqualoreq́ fracti
Luctifico illius deflebunt funera, eorum
Nam nemo merces ſibi vindicat amplius ære.
v. 12. Merces ex micis auri argentiq́ rigentes
Et magni pretij gemmis ſplendentibus, atq;
Margaritis nitidas, & Byſſo & purpurâ amœnas

Vellera

Vellera sericea & coccum & lignum omne cedrinum,
Vasaq́ singula de solido fabrefacta elephanto
Corticibus pretij immensi seu suta cavatis
Vel fulvo ex ære aut ferro vel marmore picto.
v. 13. *Cinnama & Indorum densis nascentia silvis.*
Et suffimenta, atq́ unguenta, & thura Sabæa,
Et vinum, & pinguem succum viridantis olivæ,
Et similam, & frumentum, & jumenta insuper ipsas
Lanigerûm pecudes, & equos hinnitibus acres,
Lecticasq́ leves & mancipia apta labori,
Atq́ animas hominum contentas corporis antro;
v. 14. *Et fructus quos mens animi fervore cupivit*
Et desiderio magno tua, jam procul à te
Cesserunt, lautâ & pinguedine singula mactæ
Atq́ illustria, Te solâ fugitiva relictâ
Corripuêre procul se visu abducta sagaci
v. 15. *Ac mercatores rerum harum, subsidio ejus*
Res qui auxêre suas congestâ maximâ opum vi
Ecce procul stabunt propter tam grandia passam
Tormenta attoniti, flentes nimiumq́ dolentes;
v. 16. *Atq́ quiritantes vah, vah, illa ardua tectis*
Circuitu vasto magna urbs, quam Byssina texta
Velabant, & purpurea, atq́ rubentia cocco
Fulgebatq́ auro fulvo & radiante lapillo,
Et niveo margaritarum splendore, superba.
Quinam divitias tantas unâ hauserit horâ?
v. 17. *Quin quoq́ navarchi, nautarum & cætera turba*
Qui peragunt agili audaces tumida æquora remo
Atq́ vias faciunt rostratis puppibus, auris
Confisi optatis, & quotquot marmora ponti
Cærulei sulcant ob quæstum divitis undæ
v. 18. *Eminus hi stabunt ✝ ejus fumumq́ videntes*

Perditæ abigne atrum dicent: Quænam urbis imago
v. 19. Huic magnæ similis superat? ✝ tum pulvere sparso
Fædabunt capita & magnis clamoribus auras
Implebunt lacrumis udi luctu, implicitiq́s
Dicentes: Vah, vah, quod magna urbs illa, beabat
Divitijs cunctos quæ navibus æquor arantes
Immensis, unâ deleta est funditus horâ!
» v. 20. Exulta super hac cœlum & vos sancta virorum
» Nomina Apostolici gregis, afflatiq́s prophetæ
» Numine corda sacro, quia nostras vindice dextra
» Ex illâ sumsit pœnas DEUS, atq́s peregit!
v. 21. Tum quidam genius mirando robore pollens,
Sustulit immani montanum pondere saxum
Molemolæ magnæ simile, & projecit in æquor
Dicens: Tam valido simul impete proijcietur
Magna illa urbs Babylon barathrum ruet inq́s profundum
Cerneturq́s oculis viventum haut amplius ullis.
v. 22. Et citharœdorum vox, aßâ aut voce canentum,
Tibia sive sonos quos dat, clangorq́s tubarum
Audiri nusqnam poterunt in te amplius: ullus
Amplius artificum neq́s cujuscunq́s laboris
Ille sit, aut operæ, plus in te civis ovabit,
Atq́s molæ sonitus non amplius obstrepet in te
v. 23. Atq́s lucernæ haut fulgebit lux amplius in te,
Et vocem sponsi & sponsæ nemo audiet in te.
Namq́s Tui mercatores procerum ordine Terræ
Inclyti erant omnes, & tu Trivenefica Gentes
Seduxti terræ in regionibus omnibus omnes.
v. 24. Quin deprensus in hac effusus cæde cruentâ
Ipse prophetarum & sanctorum ex corpore sanguis,
Vltricem poscens dextram pro crimine tali
Promeritasq́s iterum ex inimico sanguine pœnas,

Hæc

Hæc communis erat quoq; cædibus area qua ſunt
Omnia crudeli ſemper data corpora letho.

CAPUT XIX.

ARGVMENTVM.

Deum celebrant cœlites,
Vocantur agni ad nubtias,
Fit prælium, inquo beſtia
Stagnum victa igneum ſubit.

v. 1. *POſthæc audivi ſtridenti murmure vocem*
Magnam, multiplicis dicentis in æthere turbæ "
Alleluja ſalus conſtans, & gloria perpes "
Atq; æternus honos invicto & robore virtus "
Inclyta ſit Domino noſtro noſtroq; JEHOVÆ! "
v. 2. *Ejus judicijs etenim vis maxima inhæret* "
Veri, regula tum juſti rigidiſſima lucet, "
Nobile damnavit nam ſcortum cujus amores "
Ignibus illicitis vecti, infecére nefando "
Et ſcelerum viro ſecla ipſa virilia terræ, "
Servorumq; ſuorum ex dextris cæde ſuperbis "
Eripuit vindex undantes ſanguinis amnes. "
v. 3. *Ecce ſecundò poſt dixerunt Alleluja. &*
Illius aſcendit picea caligine fumus,
Abſumtæ flammis, involvitq; æthera in ævum.
v. 4. *Bis duo deni & presbyteri mox corpore prono*
Procubuére ſolo, ac animantia quattuor illa,
Supplice adorarunt cultu atq; humili ore Jehovam,
Cœleſti innixum ſolio, & pæana canentes
v. 5. *Dixerunt Amen, Alleluja: + & prodijt aureo*

Vox ſolio dicens, per laudes ite JEHOVÆ
Jam noſtri, vos qui dominum hunc agnoſcitis omnes
Servitij obſequijs promti, & cantate per orbem
Suaviſonis hymnis meritæ præconia famæ
Juſſa DEI *memori qui mente ſacrata notatis,*
Atq; timetis eum majores atq; minores.
v. 6. *Ecce autem audivi ſonitum turbæ uſq; loquacis*
Obſtreperum, & tanquam ſonitum conflugis aquarum,
Et tanquam ſonitum per caulas ætheris omnes
Currentis tonitrus immanis murmure vaſto,
Clamantum Alleluja novi nunc regna guberni
Suſcepit Dominus noſter DEUS *ille* JEHOVA,
Cujus non novit certam omnipotentia metam.
v. 7. *Nunc ingenti hilares tollamus jubila plauſu*
Et fremitu læto cuncti in nova gaudia eamus,
Optatos thalami celebrat nunc agnus honores,
Lætitiâ & tali dignam ſe præparat uxor.
v. 8. *Et datus eſt illi (ceu ſponſæ) mundus amictus*
Ex byſſo ſplendente, nivis vincente colorem:
Juſtificatorum ſanctorum hæc Byſſus imago.
v. 9. *Tunc dixit mihi manſuris nunc illine chartis*
Subſidio calami: Felices atq; beati "
Sunt, agnus quos ad ſocialia feſta vocavit "
Connubij, tædasq; pias, cænamq; jugalem. "
Et dixit mihi verba DEI *veriſima ſunt hæc.*
v. 10. *Illius ante pedes curvato & corpore toto*
Procidi, adoraturus eum, ſed protinus inquit;
Heus cave ne facias! mihi enim non competit iſte
Ritus adorandi, & curvato corpore cultus,
Ecce Tuus ſum conſervus fratrumq; tuorum,
Teſtandi qui de JESU *benè munere gaudent,*
Pronus adorato, genua incurveſq; JEHOVÆ.

Namq;

Namq; prophetiæ flamen testatio IESU *est.*
v. 11. *Tunc iterum cœlos conspexi prorsus apertos,*
Candidus astabat sonipes gressusq; superbos
Composito glomerans pede, sessoremq; tenebat
Cujus Nomen erat, Fidei constantia perpes.
Et veri constantis apex, qui justa ministrat
Judicia, atq; æquis pugnat feliciter armis.
v. 12. *Ejus erant oculi tanquam ignis flamma micantis,*
Cingebantq; comæ capitis diademata multa
Illius, & juxta quoq; scriptum nomen habebat,
Nomen terrigenûm quod novit nemo nisi ipse.
v. 13. *Veste erat indutus roseo quoq; sanguine tincta,*
Nomine magnifico dictus, SERMO ILLE JEHOVÆ.
v. 14. *Illum militiæ cœlestis at agmine denso*
Sectabatur vectus equis exercitus albis
Albo vestitus Byssi mundo, atq; polito.
v. 15. *Illius ex labris gladius prodibat acutus*
Quo cædenda forent ab eo olim Gentica secla.
Quæ reget ille suæ nodoso robore virgæ
Ferratæ, ipse lacum vini calcabit & unus
Spumantis fervore iraq; DEI omnipotentis.
v. 16. *In vestimento, in femore atq; suo ipse ferebat*
Inscribtum nomen titulisq; insigne superbis,
Rex regum, & Dominus vasto dominantium in orbe.
v. 17. *Tunc vidi quendam genium consistere in orbe*
Solari, magnâ inclamantem voce catervam
Alituum, volucrumq; genus per inane volantum
Ætheris immensi: Nunc pennigera agmina adeste
Aëriæ volucres, formis variantibus, ipsam
Ad magnamq; DEI cœnam huc properate per auras
Unanimes vacuas, & inania nubila cursu
v. 18. *Aligero, ✝ dapibus quo nunc epulemini opimis,*

Vescentes Regum carnes jam sceptrigerorum
Atq; tribunorum carnes, carnesq; potentum,
Cornipedum & carnes sternaci corpore equorum;
Carnesq; illorum, ferratâ calce fatigant
Qui istos sessores, carnes etiam ingenuorum, &
Servorum mixtim & majorum unâq; minorum.
v. 19. *Visa deinde mihi metuendo bestia vultu*
Illa iterum, & reges terræ atq; exercitus horum
Omnes illo animo, Mavortia bella gerendi
Contra illum, & validâ miscendi prælia dextrâ
Quem niveus portabat equus, sacrasq; cohortes.
v. 20. *Sed citò capta fuit socijs fugientibus ultrò*
Bestia, comprensusq; unâ tum pseudopropheta.
Illius antè oculos magno qui signa stupore
Ediderat, quis seducti signacula bestiæ
Qui sumsere ferè, quis mente & bestiæ imago
Devotâ culta est: ambosq; absorbsit hiatus
Igniti stagni, atq; ardenti sulphure fœtens.
v. 21. *Et reliqui sunt occisi mucrone coruscо*
Fatiferi gladij, qui prodijt ejus ab ore
Quem tollebat equus sessorem: omnesq; volucres
Carnibus illorum saturatæ impunè volabant.

CAPUT XX.

ARGVMENTVM.

Satanam coërcent vincula,
Qui Gog & Magog concitat:
Coërcet hos Deus; patent
Libri qui mortuos probant.

v. 1. *Post*

v. 1. POst vidi Genium descendentem æthere ab alto,
Infernalis qui clavem gestabat Abyssi,
Atq; suâ dextrâ ingenti nexam ære catenam.
v. 2. Ignivomo stygium qui prendens ore draconem
Serpentem antiquum longævo temporis usu
Multiscium, cujus virosa calumnia mater,
Et nomen Satanæ immanis tortoris Averni,
Arctè constrinxit, completis mensibus anni
Incipiant verso dum mille recurrere motu.
v. 3. Atq; illum in stygiam citò præcipitavit abyssum,
Occlusitq; fores inferni, & pallida regna,
Obsignans super imposuitq; immobile saxum;
Ne gentes cæco seduceret amplius astu
Donec conficiat mille annos orbita Solis,
Exiguo nam post solvetur tempore rursus.
v. 4. Inde thronos vidi, summoq; sedilia cælo
Insedére quibus, penes est censura severi
Quos nunc judicij, consensu Numinis almo
Supremi, vidiq; animas queis sæva securis
Colla cruentavit rubicundâ sanguinis undâ
Ingenuè IESU confessum propter amorem,
Atq; DEI propter servata oracula sancti!
Atq; illos etiam, qui nunquam supplice voto
Bestiam adorarunt, atq; ejus imagine vanâ
Sunt delectati nusquam, & signacula nunquam
Accepere suis manibus, tum frontibus, ejus.
Hi vivent & cum Christo, illis millibus annis
Parte aliquâ regni regnabunt ritè locati.
v. 5. Relliquiæ verò oppressorum morte soporâ
Non revigescent dum, perfecto temporis orbe,
Mille suis rursum redeant anfractibus anni;
Atq; resurgendi princeps hæc primaq; meta est.

v. 6. O ni-

v. 6. O nimiùm felicem, ô terq; quaterq; beatum!
Et sanctum, superum cui numine contigit, ut sit
Pars hujus metæ, facies ex quâ una resultat
Prima resurgendi, super hos mors ipsa secunda.
Non habet imperium, teget illos insula sacra,
Indè sacerdotes supremi Numinis, atq;
Christi semper erunt, fidei fulgore nitentes.
Cumq; illo læti regnabunt mille per annos.
v. 7. Postquam ingressus erit verò millesimus annus,
Ex tetro Satanas solvetur carcere rursus.
v. 8. Exibitq; iterum promtus seducere gentes
Quadruplici numero quaquâ patet angulus orbis,
Gogum, Magogum unanimes ut congreget illos
Ad bella & grave Martis opus & ad aspera pugnis
Prælia, qui numero æquoreæ assimilantur arenæ
v. 9. Ergo superficiem terræ implevêre rotundæ
Et concluserunt sanctorum castra coronæ
Circuitu ingentis, dilectam urbemq; Tonanti:
Nubibus athereis subitò sed decidit ignis
Atq; absumsit eos citò flammâ prorsus edaci.
v. 10. Et Satanas, tanto qui illos seduxerat æstu,
Impete præcipiti in stagnum conjectus inundans,
Ignibus infernis tetras halantibus auras
Sulphuris, & vapidum semper caligine cæcâ.
In quo bestia erat, simul illeq; pseudopropheta,
Perpetientes supplicij tormenta furentis
Noctes atq; dies, seclorum in secula cuncta.
v. 11. Tum vidi solium magnum candore politum
Et super hoc considentem, quem cominus horret
Terra tremens, summus refugitq; exterritus æther
Nusquam inventâ loci nam sunt vestigia eorum.
v. 12. Et vidi exanimes majores atq; minores

Antè

Antè DEI aſpectum ſtantes olimq; ſepultos
Pagellis adaperta ſuisq; volumina laxis,
Atq; alius liber eſt recluſus, pagina cujus
Nomen habet vitæ inſertum, iſto & judice vitæ.
Exortes dulcis, didicerunt crimina quondam
Quæ malè patrarant dum priſtina vita manebat.
v. 13. Et mare ſubmerſos olim undis reddidit omnes
Inſanis, quos mors quoq; raptos abſtulit atra,
Abſorbſitq; trifaux infernus reddidit æquè:
Quæſtumq; fuit de cunctis, atq; animata "
Vrna fuit, merûere velut facta omnia eorum "
v. 14. Et mors; Infernusq; ſimul cecidère, paludem
Conjecti in ſtygiam mixto fœtam igne tenebris,
Atq; hæc, quæ primam ſequitur, mors ipſa ſecunda eſt.
v. 15. Omnis at in libro vitæ, quem pagina ſcriptum
Nulla habuit, ſtygis ille abjectus in ignea ſtagna.

CAPUT XXI.

ARGVMENTVM.

Solymûm urbs recens ab æthere
Deſcendit, uxor incolit
Hanc Agni, gemmis ſplendidam,
Templum urbis Agnus hujus eſt.

v. 1. ET vidi cœlumq; novum, terramq; recentem:
Primum nam cœlum ſtellis fulgentibus aptum,
Et primæ terræ ſpatioſa volumina in uno
Momento periére, extatq; nec amplius æquor.
v. 2. Atq; ego Ioannes conſpexi urbem ipſe ſacratam
Vrbem, quæ gaudet Solymorum nomine priſco,

Ecce recentatam, divinæ munere dextræ
Stelligerâ descendentem tum cælitùs aulâ,
Instructam, sponsa ingreditur ceu grata marito,
Ornatu miro varijs gemmisq; decoro.
v. 3. *Audiviq; sonum magnum dicentis ab alto*
Culmine cælorum vocis, vide scena Jehovæ hæc
Viventisq; DEI est, cum humano semine cretis,
Et convivet eis, lectoq; utetur eodem,
Illiusq; forent populi de nomine dicti,
Juxta illosq; erit ipse Deus, Deus unus eorum.
v. 4. *Et Deus ex oculis omnes absterget eorum*
Rorantes lacrumas & lurida mortis imago
Amplius extabit nusquam, neq; luctus acerbus;
Nec querulus clamor tristi aut labor improbus ausu.
Præteriére etenim fugitivo hæc omnia passu.
v. 5. *Et residens solio regali sceptriger infit:*
Ecce manus nova nunc facit omnia nostra, vetusta
Dextrè abolens; hæc atq; jubet me inscribere chartis
Sunt ea verba etenim vera atq; fidelia verba.
v. 6. *Compellansq; iterum me, dixit jam modò* FACTU
Ille ego sum prima, ille ego littera & ultima substo, (ES
Principium rerum cunctarum, & finis earum.
Arentes cujus fauces sitis improba adurit
Ex liquido huic dabo aquas lucentes gurgite fontis,
Fontis Aquæ Vitæ, rivo saliente, perennis.
v. 7. *Qui vincit, Bona singula jure hæredis habebit*
Namq; ero semper ei Deus, & mihi filius ipse.
v. 8. *Grex ignavorum contrà atq; incredula turba,*
Execrabiliumq; virûm gens perdita, quiq;
Plurima patrarunt homicidia, quiq; hymenæos
Sectati illicitos, magicis quivé artibus ausi
Pharmaca miscere & diris aconita venenis,
Et qui factos ex auro coluére deastros, Ac

Ac qui voce aliud promunt, sub pectore clauso
Sed condunt aliud, mendacia vana loquentes,
Omnes hi sortem stygiâ obtinuére palude.
Assignatam ubi flamma vorax crepitare videtur,
Ignibus obscuris nutrita à sulphure pingui
Atq; hæc verè mors à primâ est morte secunda.
v. 9. *Ex septem Genijs tunc ad me accesserat unus,*
Qui septem pateras plagarum humore repletas
Septem extremarum, gestarant vocibus istis
Vsus; Rumpe moras omnes mecumq; venito.
Ostendam tibi nunc agni sponsam atq; maritam
v. 10. *Atq; asportavit volucris me spiritus auræ*
In montem magnum & sublimem vertice celso
Ostenditq; mihi magnam illam protinus urbem
Et sanctam, prisco Solymarum nomine dictam,
Ingenioq; DEI descendentem æthere summo.
v. 10. *Numinis hæc summi majestatem intus habebat*
Et lumen lapidi, pretio qui vinceret omnes
Orbis opes, conforme, Hic nomine Iaspidis amplo
Crystalli splendentis aquas superabat honore.
v. 12. *Prætereà murum magnum excelsumq; tenebat*
Et portas numero bissenas postibus atq;
Portarum summis genios totidem ordine sanctos,
Nomina & inscripta, Isacidum quæ Nomina verè
Ter triplici distincta tribu signare videntur.
v. 13. *Solis ab exortu ternis plaga lucida portis*
Conspicienda patet, totidem illustrata videtur
Ad gelidum Borean, tres apperiuntur ad Austrum
Trina fores sole occiduo tres janua pandit.
v. 14. *Et duodena urbis fundamina murus habebat,*
In quis nomina erant titulis inscripta decoris,
Nomina, Apostolici ecce agni bissena senatus.

v. 15. Porrò is, qui mecum tot verba ferebat, habebat
Auratum in manibus calamum, percurrere posset
Hujus ope, intervalla urbis, portasq; superbas,
Et metiri murorum latera ardua mole.
v. 16. Vrbs verò ostendit quadrantes undiq; frontes
Dimensis spatijs quatuor, quadrangula forma.
Ne commissuris distantibus angulus impar
Perfectam incidat per symmetra dissona normam.
In longo & lato æqualis, dimensus & urbem est
Bis sena ad stadiorum millia arundine normæ
Auratâ: in longum, in latumq; altumq; figurâ
Æquali à spatio in spatium at divisa superbit.
v. 17. Illius & murum est mensus centum cubitorum
Et quadraginta & quatuor, mensura videtur
Esse isthæc hominis, quæ par penè Angelo habetur
v. 18. Sed niveâ structura fuit de Iaspide Muri
Vrbs verò ex auro nitido omnis condita, puro
v. 19. Assimilis vitro, ✠ Ac urbis fundamina muri
Gemmarum textis variarum ornata colorum.
Viventes animas lucis liquido igne vomebant:
Et fundamentum primum pingebat Iaspis
Aëriusq; color, Sapphiri luce secundum,
Cæruleâ atq; sequens Chalcedon in ordine tertium,
Fulgentis quartum viridantia prata Smaragdi.
v. 20. Quintum Sardoniches lucem fundamen habebat,
Sardius at sexto fundamine fulsit aquoso
Ostro; Chrysolithus nativo interlitus auro,
Septimum habebat, at octavi fundaminis urbis
Beryllus juxta positus variarat honores,
Fundamen nonum pingebat luce Topazon,
Sed decimum levibus guttis Chrysoprasus auri
Conspersus rutili porriq; virore superbus.

Vndeci-

Vndecimum lux perfundit fulgens Hyacinthi,
Purpura Amethysti extremam sedem occupat urbis:
Bissenæ verò portæ, totidem ordine conchis
Ex Indis sunt margaritæ, quin quamlibet harum
Portarum portam quævis margarita figurat.
Fornice splendenti: quin urbis & area major
Puro auro radiat pellucidi imagine vitri.
v. 22. *Nec conspexi in eâ surgens fundamine templum:* ‟
Illius est templum DEUS *omnipotentia cujus* ‟
Infinita, patet templum unâ illius & Agnus. ‟
v. 25. *Nec quoq; lucis eget, seu Phœbi sive Selenes*
Vrbs ista, ut solita nitidæ dulcedine lucis
Illam percurrant, Nam gloria clara JEHOVÆ
Luce illustrat eam jugi, illius atq; lucerna.
v. 24. *Est Agnus.* ✝ *Gentes servatæ ex partibus orbis*
Diversis etiam ipsa pedum vestigia figent
Illius ad lucem sua, terræ sceptrigeriq;
Reges transcribent partæ illi gloriæ honorem.
v. 25. *Vllius nunquam claudetur janua portæ*
Ast erit illa patens in quavis luce diei,
Cùm nox nulla cavis istam circumvolet umbris.
v. 26. *Gloria, honosq; ad eam per gentes endoferetur*
v. 27. *Nec quis per portas in eam ingredietur apertas*
Sit procul omnis ab hac, omnis procul urbe prophanus
Quiq; execrandis vitam deturpat honestam
Flagitijs loquitur vanâ & mendacia linguâ
Inserti sed qui sunt Agni in codice vitæ!

CAPUT XXII.

ARGVMENTVM.

Aquæ

Aquæ vitalis fons fluit,
Et arbor vitæ ostenditur,
Hujus libriq; oracula
Dictata sunt verissima.

V. 1. INdè mihi ostensus vivarum purus aquarum
Amnis, crystalli liquidi pellucidus instar
Ex solio Iovæ atq; agni se gurgite prodens
V. 2. Manare irriguo: ✝ In mediâ ipsiûsq; plateâ
Fluminis ex ripâ geminâ hinc atq; indè virente
Arbor erat vitæ duodenos edere fructus
Promta, suum & fructum per mensem quemlibet edens
Mobilia & folia ad sanandum Gentica secla
V. 3. Summa nec adversus quemquam execratio posthac
Dicetur, sedesq; DEI regalis & agni
Illâ figetur, servorum & Nomina cara
V. 4. Illi servibunt, devoto pectore: ✝ & indè
Conspicient ejus faciem fulgore serenam
Nomen & ostendent ipsis in frontibus ejus.
Humida nox, nec opus laternæ lumine prævio
Perreptare vias, nitidâ nec luce fruisci
Auricomi Solis: Dominus DEUS ipse coruscâ
Luce illustrat eos radijsq; nitentibus infert
Et regnabunt in seclorum secula longa.
V. 6. Tum dixit mihi: Sunt fidei hæc plenissima verba,
Et simplex sapiunt verum, Dominusq; Senatus
Fatidici, sanctus DEUS ille ex agmine misit
Aligero genium ut servis prænunciet ore
Præsago iste suis, quæ parvo tempore fient.
V. 7. Ecce citò venio & propero celer advolo cursu.
Ille beatus erit contenta hoc codice servans

Verba

Verba prophetiæ, memori quoq; mente recondens.
v. 8. *Ille ego Ioannes sum qui visa omnia acuto*
Hæc perlustravi, proprijs æquè auribus hausi,
Etpostquam audivi & vidi, mox procidi adorans
Ante pedes genij, Duce quo mihi talia visa.
v. 19. *Is verò dixit cave ne sic feceris unquam,*
Conservus sum namq; tuus, fratrumq; tuorum
Fatidicûm, illorumq; simul qui codicis hujus
Verba tenent memores: Iovam reverenter adora.
Unum, atq; antè pedes ejus Te subijce pronum.
v. 10. *Dixit abindè mihi, noli obsignare seorsim*
Verba prophetiæ libri hujus: publica redde,
Omnibus, instat enim finiti temporis hora.
v. 11. *Qui sceleratus injustè patrat patrare injustè*
Pergat adhuc, qui sordidus est quoq; sordeat ultrò
Et cui justitiæ placet unica regula veræ,
Justificetur adhuc, qui est sanctus sanctificetur.
v. 12. *Ecce citò venio celer & mecum mea merces,*
Juxta operis meritum, ut cuivis sua præmia reddam
Et facti pretium, ceu justi dictat amussis. (unâ
v. 13. *Alpha Ego & Ωmega sum, sum principium quoq; &*
Sum Finis, sum primus ego & simul ultimus idem
v. 14. *Felices nimium, qui sic mandata facessunt*
Illius, obtineant jus fas ut in arbore vitæ
Et per portas sacratam ingrediantur in urbem.
v. 15. *Extus erunt verò secluſi, impura canum vis*
Atq; veneficijs gens diris addita, tum qui
Illiciti gaudent spacium decurrere amoris
Sanguinis & sitientes cædibus omnia miscent:
Et qui mente deastrorum simulacra verentur,
Et qui committunt falsi mendacia amore.
v. 16. *Jesus ego ipse meum genium misi ista sacratis,*
Testifica-

Testificaretur vobis in cœtibus, ipsis.
Illa ego sum radix Davidis, semine & ejus
Edita progenies, stella & splendore coruſco
Fulgida, quæ matutinis elucet ab oris.
v. 17. *En nunc unanimes & sponsa & spiritus aiunt*
Eja veni! voces qui pervigil audiet istas
Dicat & ille Veni! si quem sitis aspera vexat,
Ille etiam veniat, ubi ei quoq; promta voluntas
Accipiat gratis vitæ undas fonte perennes.
v. 18. *Sed cuivis testor qui libri audiverit hujus*
Verba prophetiæ: Si quisquam adiecerit illis
Nudum apicem, plagas quod sit, statuente JEHOVA,
Incursurus eas, liber hic quas continet in se
v. 19. *Subsidio calami scriptas: ✝ sin exoriatur,*
Qui mutilaverit hæc quidvè aut exemerit istis
Ex verbis, quidvé abstulerit, quæ codice in isto
Scripta prophetiæ: partem DEUS *auferet ejus*
Perpetis è libro vitæ, atq; ex urbe sacratâ &
E numero illorum quorum sunt nomina libro
Lecta isto, primâ nascentis origine mundi.
v. 20. *Hæc dicit cujus prodit testatio ab ore*
Ista: Citò venio! & certò: vox addita idemq;
Attestatur Amen. IESU Domine ergo venito!
v. 21. *Gratia sit Domini nostri, Prædulcis IESU*
Christi, cum vobis (voveo nunc) omnibus omni
Tempore! Amen dicat, cui votum hoc pectore gratum!

FINIS.

SOLI DEO VNI TRINO
GLORIA.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766842649/phys_0104
DFG

ud promunt, ſub pectore clauſo
d, mendacia vana loquentes,
ſtygiâ obtinuére palude,
flamma vorax crepitare videtur,
nutrita à ſulphure pingui
nors à primâ eſt morte ſecunda.
Genijs tunc ad me acceſſerat unus,
ras plagarum humore repletas
um, geſtarant vocibus iſtis
ras omnes mecumq; venito.
nc agni ſponſam atq; maritam
tavit volucris me ſpiritus auræ
num & ſublimem vertice celſo
agnam illam protinus urbem
o Solymarum nomine dictam,
leſcendentem æthere ſummo.
hæc ſummi majeſtatem intus habebat
retio qui vinceret omnes
me, Hic nomine Iaſpidis amplo
tis aquas ſuperabat honore.
murum magnum excelſumq; tenebat
biſſenas poſtibus atq;
is genios totidem ordine ſanctos,
pta, Iſacidum quæ Nomina verè
ta tribu ſignare videntur.
rtu ternis plaga lucida portis
t, totidem illuſtrata videtur
ean, tres apperiuntur ad Auſtrum
ciduo tres janua pandit.
urbis fundamina murus habebat,
ant titulis inſcripta decoris,
i ecce agni biſſena ſenatus.